




1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

GRAMMATICORVM GRAECORVM

DE ARTE TRAGICA

IVDICIORVM RELIQVIAE

COMPOSVIT

ADOLFVS TRENDELENBVRG

BONNAE

APVD A. MARCVM

MDCCCLXVII

Τὸ κριτικὸν κάλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ.

Dion. Thrax gram. 1.

ADOLFO TRENDELENBVRG

OTTONI IAHN

PIETATIS ERGO

PROLEGOMENA

I

De arte poetarum tragicorum Graecorum quid senserint iudicarintque veteres grammatici, de universa scilicet fabularum quae dicitur oeconomia, de singularum scaenarum compositione earumque inter se nexu, de personarum indole moribusque, de natura et veritate, quam in depingendis hominum moribus imitarentur exprimerentque poetae, de praestantia denique dramatum eorumque in spectatores vi et effectu, de his rebus quid disputaverint veteres tragoediarum interpretes, unde cognoscere queamus paucissimi extant fontes iique, ut reliquias perlustranti primo videri potest aspectu, sat exiles atque exigui, scholia dico et argumenta fabularum. scholiorum in corpore, ut hodie extat, observationibus criticis mythicis geographicis hic illic admixta inveniuntur iudicia, quae ad artem spectant a poetis tragicis adhibitam, pro ceterarum observationum numero admodum rara. varia horum iudiciorum ratio est in variis poetis et scholiis. longe plurima extant in veteribus scholiis Sophocleis, multo pauciora in vasta scholiorum Euripideorum colluvie, paucissima in exiguis scholiis Aeschyleis, nulla fere in Byzantinis scholiis tam Aeschyli quam Sophoclis[1]. nihilo melius res se habet

1 Scholia in Aristophanem nullas praebent observationes de arte in compositione ipsarum comoediarum conspicua, nonnulla tamen in iis data occasione disputata sunt de Euripidis Aeschylique arte, quae suo loco afferam.

in argumentis, decurtatis his omni modo et ad vilem exilitatem redactis, amplificatis illis sterili magistellorum Byzantinorum doctrina et maceratis vana quadam inutilique verborum ubertate. quae fontium et paucitas et exiguitas inprimis videtur in causa fuisse, cur studiorum a veteribus grammaticis in arte poetarum explicanda collocatorum nulla fere adhuc ratio haberetur[2]. cuius rei altera etiam accedit causa. summa veterum scholiorum utilitas nobis posita est in rerum cuiusvis generis explicationibus, quoniam antiquis interpretibus fontes aperti erant, qui nobis iamdudum exaruerunt. quid de arte poetarum iudicaverint nihil curamus nec necesse est curemus, nam in hac re ex eodem fonte haurimus atque illi, ex ipsis scilicet poematis. quare non mirum est, quod qui nostra aetate de fabularum Graecarum praestantia aestimanda disputant rarissime tantum eorum habent rationem, quae de hac re veteres interpretes protulerunt. neque illud primarium erat nec potuit esse consilium hasce reliquias colligenti, ut novi aliquid ex iis disceretur ad admirabilem artem, qua exculta sunt Graecorum dramata, altius perspiciendam, quamquam vel huic rei non nullius sunt fructus veterum iudicia, sed id potius spectandum, ut, quantum quidem potuit fieri in tanta fontium siccitate, lux affunderetur grammaticae Alexandrinae parti, quae a plurimis eorum, qui nostro aevo studio historiae grammaticae Alexandrinae se dederunt, prorsus neglecta, a paucis, qui eam tetigerunt, obiter tantum tacta est. hac de causa reliquias, quae in scholiis observationum ad tragicorum artem spectantium extant, collegi iisque

2 In Eduardi Muelleri libro, qui inscribitur *geschichte der theorie der kunst bei den alten* 2 voll. Breslau 1834 et 37 sex paginae (vol. II p. 225—30) his grammaticorum Alexandrinorum studiis datae sunt, quarum quinque breves nonnullas de Aristarcho Zoiloque observationes, sexta de artis tragicae existimatoribus nihil aliud continet nisi de iis nihil nos scire. alii viri docti in hanc rem dedita opera non inquisiverunt. singula quaedam tetigerunt Welckerus Schlegelius (cfr. *vorlesungen ueb. dram. kunst* I p. 134. 168. 170) alii.

prolegomena praemisi, quibus, quae de natura et auctoribus observationum illarum dicenda erant, exposui. in hac re ea prae ceteris et brevitate et perspicuitate sese commendabat via, ut initium fieret ab argumentis enumerandis examinandisque, unde quasi sponte apparebit, quae nostro inserviant proposito. prolegomenis singulae scholiorum classes pro sua quaeque materia subiungentur.

Inter argumentorum scriptores primarium tenere locum Aristophanem Byzantium inter omnes constat. qui huius argumentis primus singularem operam navavit Augustus Nauckius in libro, quo grammatici huius celeberrimi fragmenta collegit et disposuit[3], hanc unam inprimis rem ad liquidum perduxit, *ὑποθέσεις*, quae versibus astrictae in libris nostris Aristophanis nomen prae se ferant, abiudicandas esse huic grammatico et mediocri tribuendas versificatori Tzetzarum Tricliniorumque aetati suppari. pleniorem cum ipsorum argumentorum tum Aristophanis, argumentorum scriptoris, notitiam debemus Schneidewino, qui in commentatione *de hypothesibus tragoediarum Graecarum Aristophani Byzantino vindicandis* conscripta[4] ex indole et proprietate argumentorum, quae librorum auctoritate Aristophani assignantur, primum certam normam constantemque rationem eruit, quam Aristophanes in componendis hypothesibus secutus esse videretur, deinde vestigiis insistens, quae eiusdem indolis doctrinae proprietatis in reliquis argumentis apparerent, Aristophani vindicavit, quae ut Aristophanea hoc modo se proderent, denique sedem exquirere conatus est, quam genuinam ar-

---

3 *Aristophanis Byzantii grammatici Alexandrini fragmenta collegit et disposuit Augustus Nauck* Halis 1848 p. 252 - 263.

4 Recitata est commentatio in consessu societatis regiae scientiarum Gottingensis d. IV decembr. a. 1852 et edita Gottingae a. 1853.

gumenta obtinuissent. tribus argumentis Aristophaneis Antigonae Medeae Baccharum iam a Nauckio allatis quartum addidit Schneidewinus Eumenidum, cuius auctoris nomen membranae Laurentianae servarunt. feliciter igitur evenit, ut ex Graecae tragoediae principum operibus unius fabulae Aeschyli, duarum Sophoclis, unius iterum Euripidis argumenta superessent, quorum scriptorem codices nobis testantur. inde Schneidewinus collegit, quod vel per se probabile fuit, non unius tantum alteriusve horum poetarum fabulas dedita opera argumentis ornasse Aristophanem, sed tres tragicorum principes pariter studiis suis esse complexum. quae coniectura egregie firmata est eo, quod post commentationem Schneidewinianam numerus earum hypothesium, quae auctoris sui in fronte gerant nomen, laetissime auctus est. Kirchhoffii enim opera ad quattuor illa argumenta Aristophanea accesserunt tria, quae in codicibus Aristophanis nomine insignita sunt, Phoenissarum Orestis Rhesi, quorum duo priora Kirchhoffius edidit in *zeitschr. f. d. gymnasialwesen* 1853 supplem. Septem his octavum ipse potui addere, quippe cuius scriptor aliunde atque ex codice certissime cognosceretur.

Rerum, quae argumentis tractavit Aristophanes, quinque genera constituit Schneidewinus, quae aut omnibus quattuor argumentis Aristophaneis aut singulis ex his propria invenit, quaeque litteris *A B C D E* signata ipsis eius verbis apponam, omissis tamen nonnullis, quae explicandi gratia adiecit. sunt autem genera haec:

A auctor summam rerum, quae sunt in fabula, paucis complectitur, oratione usus membratim concisa.

B annotat, solusne poeta argumentum in scaenam attulerit, an vel reliqui duo pariter vel alteruter eorum: κεῖται δὲ ἡ μυθοποιία καὶ παρὰ τῷ δεῖνα vel παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ex formula dicitur.

C locum actionis, compositionem chori, personam prologi nominat, in quo negotio hac uti solet norma: ἡ μὲν σκηνὴ ὑπόκειται......, ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ......,

προλογίζει δὲ...... etiam indices personarum concinnavisse Aristophanem valde probabile est.

D apponit didascalica, quando primum docta sit fabula, quo Archonte, qua Olympiade; quae una in certamen delatae sint aliorum poetarum fabulae, quo eventu certatum sit, sed ut ultra τὰ τρίτα non progrediatur.

E postremo, si quidem ex Antigonae argumento coniecturam capere licet, quota quaeque poetae fabula in numero operum esset, indicavit.'

At his partibus non omnia esse exhausta, quibus locum concederet in argumentis suis Aristophanes, ipse sensit Schneidewinus cum adderet: *praeter argumentorum partes illas numero quinque, quae fere certae fixaeque fuisse videntur, non negaverim, Aristophanem etiam aliis notitiis scitu dignis ex re locum concessisse. ita fortasse iudicia de praestantia fabularum appinxit, sed ea perbrevia, opinor, et cum memoria rerum coniuncta, — nec dedecent Aristophanem, quae in argumentis Euripideis et Aristophaneis de virtutibus carminum breviter et prudenter admonentur.* quae quo iure monuerit Schneidewinus mox apparebit collatis inter se argumentis ab Aristophane confectis, et ipse iam vir doctus in persequenda quaestione probe intellexit, iudicia illa de praestantia fabularum singulis argumentis apposita non minus certam fixamque effecisse argumentorum Aristophaneorum particulam, quam notae de loco actionis de chori compositione de didascalicis aliisque rebus. quare quae eiusmodi in argumentis inveniantur, ut sextum observationum genus littera *F* liceat notare. de septimo denique rerum in argumentis tractatarum genere, quod nescio qua de causa neglexit in schema suum recipere, haec monet Schneidewinus l. l. p. 13: *denique animum advertamus oportet quod est in arg. Ant. post expositas partes fabulae notationemque scenae: τὸ δὲ κεφάλαιον ἐστὶ τάφος Πολυνείκους καὶ Ἀντιγόνης ἀναίρεσις καὶ μόρος Εὐριδίκης τῆς Αἵμονος μητρός. nam cum paene eadem recurrant in arg. Oed. Reg.,*

Aeschyli Prom., Sept., Perss. — nisi quod in Sept. et Persis non τὸ κεφάλαιον, sed, quod eodem redit, ἡ ὑπόθεσις legitur —, quae aliunde docentur ab Aristophane fluxisse, in promptu est suspicari, grammaticum praeter continuitatem actionis casus primarios seorsum enumeravisse. his pauca mihi addenda sunt de significatione vocabulorum ὑπόθεσις et κεφάλαιον. non puto enim prorsus recte statuisse Schneidewinum, eodem redire utriusque vocis significationem, quamquam ex usu earum, qui in nostris argumentis observatur, certo definiri nequit, quod inter illas intercedat discrimen. κεφάλαια, ut Latinorum *capitula*, primarios fabulae casus significare, recte intellexit Schneidewinus. eodem sensu usurpatum esse vocabulum ὑπόθεσις concludere potuit ex arg. Sept. ἡ δὲ ὑπόθεσις στρατιὰ Ἀργείων πολιορκοῦσα Θηβαίους τοὺς καὶ νικήσαντας καὶ θάνατος Ἐτεοκλέους καὶ Πολυνείκους, nam fratrum mors caput est tragoediae. apparet autem ex arg. Persarum ἡ δὲ ὑπόθεσις· Ξέρξης στρατευσάμενος κατὰ Ἑλλάδος καὶ πεζῇ μὲν ἐν Πλαταιαῖς νικηθείς, ναυτικῇ δὲ ἐν Σαλαμῖνι διὰ Θεσσαλίας φεύγων διεπεραιώθη εἰς τὴν Ἀσίαν, hoc loco ὑπόθεσιν non idem esse ac κεφάλαιον, nam quae memorantur non sunt capitula dramatis, sed ante ipsam actionem cadunt. latius igitur patet significatio vocis ὑπόθεσις, quam ita definiverim: ὑπόθεσις, ut Latinorum *argumentum*, significat universam materiam, quae in certas particulas (capitula) divisa dramati subiecta est, ipsae particulae sunt κεφάλαια. in signandis argumentorum partibus sub eadem littera *G* posui enuntiata et quae incipiunt a verbis τὸ δὲ κεφάλαιον et quae a verbis ἡ δὲ ὑπόθεσις.

I argumentum Eumenidum Aeschyleae.

Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ[5].

A Ὀρέστης ἐν Δελφοῖς περιεχόμενος ὑπὸ τῶν Ἐρι-

5 Nomen Aristophanis servavit cod. Med.

νύων βουλῇ Ἀπόλλωνος παρεγένετο εἰς Ἀθήνας εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς, ἧς βουλῇ νικήσας κατῆλθεν εἰς Ἄργος. τὰς δὲ Ἐρινύας πραΰνασα προσηγόρευσεν Εὐμενίδας.

B παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ἡ μυθοποιία.

desunt *CDEFG*.

II argumentum Antigonae Sophocleae.

Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ[6] *ὑπόθεσις Ἀντιγόνης.*

A Ἀντιγόνη παρὰ τὴν πρόσταξιν τῆς πόλεως θάψασα τὸν Πολυνείκην ἐφωράθη καὶ εἰς μνημεῖον κατάγειον ἐντεθεῖσα παρὰ τοῦ Κρέοντος ἀνῄρηται. ἐφ' ᾗ καὶ Αἵμων δυσπαθήσας διὰ τὸν εἰς αὐτὴν ἔρωτα ξίφει ἑαυτὸν διεχειρίσατο. ἐπὶ δὲ τῷ τούτου θανάτῳ καὶ ἡ μήτηρ Εὐρυδίκη ἑαυτὴν ἀνεῖλε.

B κεῖται ἡ μυθοποιία καὶ παρὰ Εὐριπίδῃ ἐν Ἀντιγόνῃ· πλὴν ἐκεῖ φωραθεῖσα μετὰ τοῦ[7] *Αἵμονος δίδοται πρὸς γάμου κοινωνίαν καὶ τέκνον τίκτει τὸν Αἵμονα.*

C ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Θήβαις ταῖς Βοιωτικαῖς. ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ ἐπιχωρίων γερόντων. προλογίζει ἡ Ἀντιγόνη.

G ὑπόκειται δὲ τὰ πράγματα ἐπὶ τῶν Κρέοντος βασιλείων. τὸ δὲ κεφάλαιόν ἐστι τάφος Πολυνείκους, Ἀντιγόνης ἀναίρεσις, θάνατος Αἵμονος καὶ μόρος Εὐρυδίκης τῆς Αἵμονος μητρός.

F φασὶ δὲ τὸν Σοφοκλέα ἠξιῶσθαι τῆς ἐν Σάμῳ στρατηγίας, εὐδοκιμήσαντα ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς Ἀντιγόνης.

E λέλεκται[8] *δὲ τὸ δρᾶμα τοῦτο τριακοστὸν δεύτερον.*

deest *D* tantum.

III argumentum Medeae Euripideae.

Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ[9] *ὑπόθεσις.*

A Μήδεια διὰ τὴν πρὸς Ἰάσονα ἔχθραν, τῷ ἐκεῖνον γεγαμηκέναι Γλαύκην τὴν Κρέοντος θυγατέρα, ἀπέκτεινε μὲν

---

6 Nomen extat in cod. Laur.

7 Pro *μετὰ τοῦ Αἵμονος* O. Iahnius *μετὰ ιοῦτο Αἵμονυς*.

8 *Δεδίδακται* Vsenerus collato scholio Eur. Andr. 446 p. 288 Cobet. *οὐ δεδίδακται*] *οὐ δέδεικται* codices.

9 Nomen Aristophanis legitur in BH et Pal. 287.

Γλαύκην καὶ Κρέοντα καὶ τοὺς ἰδίους υἱούς, ἐχωρίσθη δ' Ἰάσονος Αἰγεῖ συνοικήσουσα.

B παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ἡ μυθοποιία.

C ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Κορίνθῳ, ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν πολιτίδων. προλογίζει δὲ τροφὸς Μηδείας.

D ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος ὀλυμπιάδος πζ ἔτει πρώτῳ. πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης Μηδείᾳ Φιλοκτήτῃ Δίκτυϊ Θηρισταῖς σατύροις. οὐ σώζεται.

desunt *EFG*.

IV argumentum Baccharum Euripideae.

Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ[10] *ὑπόθεσις.*

A Διόνυσος ἀποθεωθείς, μὴ βουλομένου Πενθέως τὰ ὄργια αὐτοῦ ἀναλαμβάνειν, εἰς μανίαν ἀγαγὼν τὰς τῆς μητρὸς ἀδελφὰς ἠνάγκασε Πενθέα διασπασθῆναι.

B ἡ μυθοποιία κεῖται καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Πενθεῖ.

desunt *CDEFG*.

V argumentum Phoenissarum Euripideae.

Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ[11] *ὑπόθεσις.*

G τὸ δὲ κεφάλαιον] ἐπιστρατεία[12] *τοῦ Πολυνείκους μετὰ τῶν Ἀργείων ἐπὶ Θήβας καὶ ἀπώλεια τῶν ἀδελφῶν Πολυνείκους καὶ Ἐτεοκλέους καὶ θάνατος Ἰοκάστης.*

B ἡ μυθοποιία κεῖται παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας πλὴν ἐκεῖ τῆς Ἰοκάστης * * * *[13]

10 Nomen testatur cod. Palat.

11 Nomen servavit Venet. 468.

12 Argumentum initio mutilatum supplevit Kirchhoffius additis verbis *ἡ μὲν ὑπόθεσις τοῦ δράματος*, quae recepit Dindorfius. *τὸ δὲ κεφάλαιον* ego scripsi.

13 *Πλει* (στ) *ἰοκάστης* Vat. 1345 *πλείστης ἰοκάστης* Vat. 1135. *πλὴν τῆς Ἰοκάστης* Kirchhoffius scripsit. mihi gravius videtur hic locus esse corruptus et in litteris *πλει* (στ) *ἰοκάστης* latere formula grammatico usitatissima *πλὴν ἐκεῖ τῆς Ἰοκάστης . . . .*, quam in simili re legimus in arg. II B *πλὴν ἐκεῖ φωραθεῖσα . . . .* et in arg. XIII B *πλὴν ἐκεῖ εὐνοῦχος. . . .*

D ἐδιδάχθη ἐπὶ Ναυσικράτους ἄρχοντος * * * δεύτερος Εὐριπίδης * * * καθῆκε διδασκαλίαν * * * περὶ τούτου· καὶ γὰρ ταὐτὰ ὁ Οἰνόμαος καὶ Χρίσιππος καὶ * * * σώζεται.

C * * * [14] ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ Φοινισσῶν γυναικῶν. προλογίζει δὲ Ἰοκάστη.

desunt *AEF*.

VI argumentum Orestis Euripideae.

Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ [15] ὑπόθεσις.

A Ὀρέστης διὰ τὴν τῆς μητρὸς σφαγὴν, ἅμα καὶ ὑπὸ τῶν Ἐρινύων δειματούμενος καὶ ὑπὸ τῶν Ἀργείων κατακριθεὶς θανάτῳ ⟨θάνατον?⟩, μέλλων φονεύειν Ἑλένην καὶ Ἑρμιόνην, ἀνθ' ὧν Μενέλαος παρὼν οὐκ ἐβοήθησεν, διεκωλύθη ὑπὸ Ἀπόλλωνος.

B παρ' οὐδετέρῳ δὲ κεῖται ἡ μυθοποιία.

C ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Ἄργει· ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν Ἀργείων ἡλικιωτίδων Ἠλέκτρας, αἳ καὶ παραγίνονται ὑπὲρ τῆς τοῦ Ὀρέστου πυνθανόμεναι συμφορᾶς, προλογίζει δὲ Ἠλέκτρα.

F τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστοφήν [16].

* * * * τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων, χείριστον δὲ τοῖς ἤθεσι. πλὴν γὰρ Πυλάδου πάντες φαῦλοι [ἦσαν].

desunt *DEG*.

VII argumentum Rhesi Euripideae.

Ἀριστοφάνους [17] ὑπόθεσις.

A Ῥῆσος παῖς μὲν ἦν Στρυμόνος τοῦ ποταμοῦ καὶ Τερψιχόρης, Μουσῶν μιᾶς, Θρᾳκῶν δὲ ἡγούμενος εἰς Ἴλιον παραγίνεται νυκτὸς στρατευομένων Τρώων παρὰ ταῖς ναυσὶ τῶν Ἑλλήνων. τοῦτον Ὀδυσσεὺς καὶ Διομήδης κατάσκοποι ὄντες ἀναιροῦσιν, Ἀθηνᾶς αὐτοῖς ὑποθεμένης· μέγαν γὰρ

---

14 Interciderunt verba ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται.....

15 Aristophanis esse argumentum testantur B et Ven. 468.

16 Quae post haec in codd. leguntur in formam ἀπορίας καὶ λύσεως redacta Aristophani recte abiudicarunt Schneidewinus et Dindorfius.

17 Aristophanis nomen solus servavit A.

ἔσεσθαι κίνδυνον ἐκ τούτου. Τερψιχόρη δὲ ἐπιφανεῖσα τὸ τοῦ παιδὸς σῶμα ἀφείλετο. ὡς ἐν παρόδῳ δὲ διαλαμβάνει καὶ περὶ τοῦ φόνου τοῦ Ἰόλωνος.

C ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ἐν Τροίᾳ. ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ φυλάκων Τρωϊκῶν, οἳ καὶ προλογίζουσι. περιέχει δὲ τὴν νυκτεγερσίαν.

desunt *BDEFG*.

VIII argumentum Oedipi Colonei Sophocleae [18].

*A ὁ ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίπους συνημμένος πώς ἐστι τῷ Τυράννῳ. τῆς γὰρ πατρίδος ἐκπεσὼν ὁ Οἰδίπους ἤδη γεραιὸς ὢν ἀφικνεῖται εἰς Ἀθήνας, ὑπὸ τῆς θυγατρὸς Ἀντιγόνης χειραγωγούμενος. ἦσαν γὰρ * * * * τῶν ἀρσένων περὶ τὸν πατέρα φιλοστοργότεραι. ἀφικνεῖται δὲ εἰς Ἀθήνας κατὰ πυθόχρηστον, ὡς αὐτός φησι, χρησθὲν αὐτῷ παρὰ ταῖς σεμναῖς καλουμέναις θεαῖς μεταλλάξαι τὸν βίον. τὸ μὲν οὖν πρῶτον γέροντες ἐγχώριοι, ἐξ ὧν ὁ χορὸς συνέστηκε, πυθόμενοι συνέρχονται καὶ διαλέγονται πρὸς αὐτόν, ἔπειτα δὲ Ἰσμήνη παραγενομένη τὰ κατὰ τὴν στάσιν ἀπαγγέλλει τῶν παίδων καὶ τὴν γενομένην ἄφιξιν τοῦ Κρέοντος πρὸς αὐτόν· ὃς καὶ παραγενόμενος ἐπὶ τῷ ἀγαγεῖν αὐτὸν εἰς τοὐπίσω ἄπρακτος ἀπαλλάττεται. ὁ δὲ πρὸς τὸν Θησέα διελθὼν τὸν χρησμὸν οὕτω τὸν βίον καταστρέφει παρὰ ταῖς θεαῖς.*

F τὸ δὲ δρᾶμα τῶν θαυμαστῶν· ὃ καὶ ἤδη γεγηρα-

18 Hoc argumentum hic statim exhibui, quoniam pro fundamento ei fuisse hypothesin Aristophaneam et indoles eius et testimonium satis disertum docet. scholiasta ad Statii Thebaidos lib. XII 510 haec annotat '*Oedipus expulsus Creontis imperio confugit Epicolono* (sic!), *in quo lucus* (*locus* cod.) *erat Furiis consecratus, sed misericordia Atheniensium illa sede est exceptus* (*erutus* cod.) *hospitaliterque tractatus. hanc tragoediam Aristophanes scripsit.*' quod scholiasta narrat breve est argumentum Oedipi Colonei Sophocleae, ut probatur etiam Graeco dramatis vocabulo '*Epicolono*'. huius tragoediae auctorem scholiasta Aristophanem finxit, nam ex eius hypothesi sumpsit sibi notitiam mythologicam. scholion mihi indicavit Otto Iahnius.

κῶς ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησε, χαριζόμενος οὐ μόνον τῇ πατρίδι, ἀλλὰ καὶ τῷ ἑαυτοῦ δήμῳ· [ἦν γὰρ Κολωνῆθεν·] ὥστε τὸν μὲν δῆμον ἐπίσημον ἐπιδεῖξαι, χαρίσασθαι δὲ καὶ τὰ μέγιστα τοῖς Ἀθηναίοις, δι' ὧν ἀπορθήτως ἔσεσθαι καὶ τῶν ἐχθρῶν αὐτοὺς κρατήσειν ὑποτίθεται ὁ Οἰδίπους, προαναφωνῶν ὅτι διαστασιάσουσι πρὸς Θηβαίους ποτὲ καὶ τούτων κρατήσουσιν ἐκ χρησμῶν διὰ τὸν τάφον αὐτοῦ.

C ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν τῇ Ἀττικῇ ἐν τῷ ἱππίῳ Κολωνῷ πρὸς τῷ ναῷ τῶν σεμνῶν. ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ Ἀθηναίων ἀνδρῶν. προλογίζει Οἰδίπους.

desunt *BDEG*.

His argumentis, quae antiquorum testimonia ut Aristophanea tuentur, subiungam ea, quae eiusdem auctoris esse tam pro certo et explorato post Kirchhoffium habuit Dindorfius, ut in editione sua scholiorum Euripideorum Aristophanis nomen iis praefigeret.

IX argumentum Alcestidis Euripideae.

(*Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ* [19].)

A Ἄλκηστις ἡ Πελίου θυγάτηρ, ὑπομείνασα ὑπὲρ τοῦ ἰδίου ἀνδρὸς τελευτῆσαι, Ἡρακλέους ἐπιδημήσαντος ἐν τῇ Θετταλίᾳ διασώζεται βιασαμένου τοὺς χθονίους θεοὺς καὶ ἀφελομένου τὴν γυναῖκα.

B παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ἡ μυθοποιία.

E τὸ δρᾶμα ἐποιήθη ιζ'.

*D ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος ὀλυμπιάδος πε' ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς, δεύτερος Εὐριπίδης Κρήσσαις Ἀλκμαίωνι τῷ διὰ Ψωφῖδος, Τηλέφῳ Ἀλκήστιδι * * **

F τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν.

C ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Φεραῖς μιᾷ πόλει τῆς Θετταλίας. συνέστηκε δὲ ὁ χορὸς ἔκ τινων πρεσβυτῶν ἐντοπίων, οἳ καὶ παραγίνονται συμπαθήσοντες ταῖς Ἀλκήστιδος συμφοραῖς. προλογίζει ὁ Ἀπόλλων.

---

19 Quae his uncis inclusi ( ) desunt in libris manuscriptis.

D Εἰσιδ * * * ἐχορήγει[20].
deest *G* tantum.

X argumentum Andromachae Euripideae.

(Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ.)

C ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος κεῖται ἐν Φθίᾳ, ὁ δὲ χορὸς (συνέστηκεν) ἐκ Φθιωτίδων γυναικῶν. προλογίζει δὲ Ἀνδρομάχη.

F τὸ δὲ δρᾶμα τῶν δευτέρων. ὁ πρόλογος σαφῶς καὶ εὐλόγως εἰρημένος. εὖ[21] δὲ καὶ τὰ ἐλεγεῖα τὰ ἐν τῷ θρήνῳ τῆς Ἀνδρομάχης. ἐν τῷ δευτέρῳ μέρει ῥῆσις Ἑρμιόνης τὸ βασιλικὸν ὑφαιροῦσα[22]. καὶ ὁ πρὸς Ἀνδρομάχην λόγος οὐ καλῶς[23] ἔχων. εὖ δὲ καὶ ὁ Πηλεὺς ὁ τὴν Ἀνδρομάχην ἀφελόμενος.

desunt *ABDEG*.

Iam in tanta argumentorum multitudine, quae aut veterum testimoniis aut recentiorum consensu Aristophani assignantur auctori, vix moneam opus est, ea quoque, quae a Schneidewino Aristophani vindicata apponenda sunt, quamvis nulla externa nitantur auctoritate, non minus certo pro Aristophaneis esse sumenda, quoniam sola librariorum incuria factum est, ut non in his quoque scriptoris nomen appareret. enumerabo ea secundum poetarum aetates.

XI argumentum Promethei Aeschyleae.

A Προμηθέως ἐν Σκυθίᾳ δεδεμένου διὰ τὸ κεκλοφέναι τὸ πῦρ πυνθάνεται Ἰὼ πλανωμένη, ὅτι κατ' Αἴγυπτον

---

20 *Inepte haec verba ab notitia didascalica, quam sequi debebant, seiuncta sunt verbis τὸ δὲ δρᾶμα — προλογίζει ὁ Ἀπόλλων.* Dindorfius. quae coniuncta sunt in libris cum hoc argumento, quaeque alio afferam loco non Aristophaneae esse disciplinae recte monuit Schneidewinus.

21 *Εὖ δὲ καί* scripsi, *ἔστι δὲ καί* codd. *ἔτι δὲ καί* Hermannus.

22 *Ὑφαιροῦσα* scripsi, *ὑφαίνουσα* codd. quod Musurus in *ἐμφαίνουσα* Lascaris in *ὑποφαίνουσα* mutarunt. *ὑποφαίνουσα* receperunt Kirchhoffius Dindorfius ceteri.

23 *Οὐ καλῶς* recepi ex cod. Palat. G, *οὐ κακῶς* editores ex ceteris codicibus.

γενομένη ἐκ τῆς ἐπαφήσεως τοῦ Διὸς τέξεται τὸν Ἔπαφον. Ἑρμῆς δὲ παράγεται ἀπειλῶν αὐτῷ κεραυνωθήσεσθαι, ἐὰν μὴ εἴπῃ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι τῷ Διί, καὶ τέλος βροντῆς γενομένης ἀφανὴς γίνεται ὁ Προμηθεύς.

B *κεῖται δὲ ἡ μυθοποιία ἐν παρεκβάσει παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Κόλχοις, παρὰ δὲ Εὐριπίδῃ ὅλως οὐ κεῖται.*

C *ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Σκυθίᾳ [ἐπὶ τὸ Καυκάσιον ὄρος·*[24]*] ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ Ὠκεανίδων νυμφῶν.*

G *τὸ δὲ κεφάλαιον αὐτοῦ ἐστι Προμηθέως δέσις.*

desunt *DEF.*

XII argumentum Septem Aeschyleae.

C *ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ἐν Θήβαις ὑπόκειται. ὁ δὲ χορὸς ἐκ Θηβαίων ἐστὶ παρθένων.*

G *ἡ δὲ ὑπόθεσις· στρατιὰ Ἀργείων πολιορκοῦσα Θηβαίους τοὺς καὶ νικήσαντας, καὶ θάνατος Ἐτεοκλέους καὶ Πολυνείκους.*

D *ἐδιδάχθη ἐπὶ Θεαγενίδου ὀλυμπιάδι οη'. ἐνίκα Λαΐῳ Οἰδίποδι Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας Σφιγγὶ σατυρικῇ. δεύτερος Ἀριστίας Περσεῖ Ταντάλῳ Παλαισταῖς σατυρικοῖς τοῖς Πρατίνου πατρός. τρίτος Πολυφράδμων Λυκουργείᾳ τετραλογίᾳ.*

desunt *ABEF.*

XIII argumentum Persarum Aeschyleae.

B *Γλαῦκος ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου φησὶ τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι. ἐκτίθησι δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ δράματος ταύτην·*

'τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων'.

πλὴν ἐκεῖ εὐνοῦχός ἐστιν ἀγγέλλων ἐν ἀρχῇ τὴν Ξέρξου ἧτταν, στορνύς τε θρόνους τινὰς τοῖς τῆς ἀρχῆς παρέδροις, ἐνταῦθα δὲ προλογίζει χορὸς πρεσβυτῶν[25]*.*

---

24 Haec verba inepta addita sunt a recentiore grammatico, qui locum secundae et tertiae fabulae confudit. alter scholiasta recte monet: *ἰστέον ὅτι οὐ κατὰ τὸν κοινὸν λόγον ἐν τῷ Καυκάσῳ φησὶ δεδέσθαι τὸν Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασι τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἔστι συμβαλεῖν.*

25 Quae in M sequuntur: *τῶν δὲ χορῶν τὰ μέν ἐστι παροδικὰ*

C καὶ ἔστιν ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος παρὰ τῷ τάφῳ Δαρείου.

G ἡ δὲ ὑπόθεσις· Ξέρξης στρατευσάμενος κατὰ Ἑλλάδος, καὶ πεζῇ μὲν ἐν Πλαταιαῖς νικηθείς, ναυτικῇ δὲ ἐν Σαλαμῖνι, διὰ Θεσσαλίας φεύγων διεπεραιώθη εἰς τὴν Ἀσίαν.

D ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ Πέρσαις Γλαύκῳ Προμηθεῖ.

desunt *AEF*.

XIV argumentum Agamemnonis Aeschyleae.

A Ἀγαμέμνων εἰς Ἴλιον ἀπιὼν τῇ Κλυταιμνήστρᾳ, εἰ πορθήσει τὸ Ἴλιόν, ὑπέσχετο τῆς αὐτῆς ἡμέρας σημαίνειν διὰ τοῦ πυρσοῦ. ὅθεν σκοπὸν ἐκάθισεν ἐπὶ μισθῷ Κλυταιμνήστρα, ἵνα τηροίη τὸν πυρσόν. καὶ ὁ μὲν ἰδὼν ἀπήγγειλεν, αὐτὴ δὲ τῶν πρεσβυτῶν ὄχλον μεταπέμπεται, περὶ τοῦ πυρσοῦ ἐροῦσα — ἐξ ὧν ὁ χορὸς συνίσταται[26] — οἵ τινες ἀκούσαντες παιανίζουσι. μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ Ταλθύβιος παραγίνεται καὶ τὰ κατὰ τὸν πλοῦν διηγεῖται. Ἀγαμέμνων δ' ἐπὶ ἀπήνης ἔρχεται· εἵπετο δ' αὐτῷ ἑτέρα ἀπήνη, ἔνθα ἦν τὰ λάφυρα καὶ ἡ Κασάνδρα. αὐτὸς μὲν οὖν προεισέρχεται εἰς τὸν οἶκον σὺν τῇ Κλυταιμνήστρᾳ. Κασάνδρα δὲ προμαντεύεται, πρὶν εἰς τὰ βασίλεια εἰσελθεῖν, τὸν ἑαυτῆς καὶ τοῦ Ἀγαμέμνονος θάνατον, καὶ τὴν ἐξ Ὀρέστου μητροκτονίαν, καὶ εἰσπηδᾷ ὡς θανουμένη, ῥίψασα τὰ στέμματα.

F τοῦτο δὲ τὸ μέρος τοῦ δράματος θαυμάζεται ὡς ἔκπληξιν ἔχον καὶ οἶκτον ἱκανόν. ἰδίως δὲ Αἰσχύλος τὸν Ἀγαμέμνονα ὑπὸ ⟨ἐπὶ cod.⟩ σκηνῆς ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ, τὸν δὲ Κασάνδρας σιωπήσας θάνατον νέκραν αὐτὴν ὑπέδειξεν, πεποίηκέ τε Αἴγισθον καὶ Κλυταιμνήστραν ἑκάτερον διϊσχυριζόμενον περὶ τῆς ἀναιρέσεως ἑνὶ κεφαλαίῳ, τὴν μὲν τῇ

ὅτε λέγει δι' ἣν αἰτίαν πάρεστιν, ὡς τὸ 'Τύριον οἶδμα λιποῦσα' (Eur. Phoen. 202) τὰ δὲ στάσιμα, ὅτε ἵσταται καὶ ἄρχεται τῆς συμφορᾶς τοῦ δράματος, τὰ δὲ κομματικά, ὅτε λοιπὸν ἐν θρήνῳ γίνεται secluserunt Schneidewinus et Dindorfius ut excerptum alterius grammatici alieno loco insertum.

26 Similiter haec nota in Persarum argumento commodo statim loco apposita est.

ἀναιρέσει Ἰφιγενείας, τὸν δὲ ταῖς τοῦ πατρὸς Θυέστου ἐξ Ἀτρέως συμφοραῖς.

D ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοκλέους ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι Χοηφόροις Εὐμενίσι Πρωτεῖ σατυρικῷ. ἐχορήγει Ξενοκλῆς Ἀφιδνεύς.

C προλογίζει δὲ ὁ φύλαξ, θεράπων Ἀγαμέμνονος [27].

desunt *BEG*.

Choephororum Supplicumque Aeschylearum argumenta in nostris libris nulla extant.

XV argumentum Oedipi Regis Sophocleae.

G ὁ τύραννος Οἰδίπους πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ ἐν τῷ Κολωνῷ ἐπιγέγραπται. τὸ κεφάλαιον δὲ τοῦ δράματος γνῶσις τῶν ἰδίων κακῶν Οἰδίποδος, πήρωσίς τε τῶν ὀφθαλμῶν καὶ δι' ἀγχόνης θάνατος Ἰοκάστης.

desunt *ABCDEF*.

XVI argumentum Philoctetae Sophocleae.

G τὸ δὲ κεφάλαιον] ἀπαγωγὴ [28] *Φιλοκτήτου ἐκ Λήμνου εἰς Τροίαν ὑπὸ Νεοπτολέμου καὶ Ὀδυσσέως καθ' Ἑλένου μαντείαν, ὃς κατὰ μαντείαν Κάλχαντος, ὡς εἰδὼς χρησμοὺς συντελοῦντας πρὸς τὴν Τροίας ἅλωσιν, ὑπὸ Ὀδυσσέως νύκτωρ ἐνεδρευθεὶς, δέσμιος ἤχθη τοῖς Ἕλλησιν.*

C ἡ δὲ σκηνὴ (τοῦ δράματος ὑπόκειται) ἐν Λήμνῳ, ὁ δὲ χορὸς (συνέστηκεν) ἐκ γερόντων τῷ Νεοπτολέμῳ συμπλεόντων.

B κεῖται καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἡ μυθοποιία.

D ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίππου. πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς.

desunt *AEF*.

XVII argumentum Electrae Sophocleae [29].

[*C ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Ἄργει. ὁ δὲ*

27 Haec verba in M post inscriptionem fabulae leguntur.

28 Mutilum initio argumentum supplevit Schneidewinus.

29 Hoc fragmentum non legitur in LG. ceterae duae diversorum argumentorum laciniae, quas ex LG edidit Dindorfius, nihil habent, quo originem Aristophaneam probent, quamquam alteram Schneidewinus recepit.

χορὸς συνέστηκεν ἐξ ἐπιχωρίων παρθένων. προλογίζει δὲ ὁ παιδαγωγὸς Ὀρέστου.]

desunt *ABDEFG*.

Trachiniarum argumentum prorsus intercidit, Aiacis non extat in codice Laurentiano. quod in recentioribus libris legitur omisit Schneidewinus, quippe quod ab interpolatoribus dilatatum pauca tantum genuinae formae vestigia exhiberet. quae ad nostrum pertinent propositum infra afferam.

[XVIII argumentum Troadum Euripideae [30].

Α μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν ἔδοξεν Ἀθηνᾷ τε καὶ Ποσειδῶνι τὸ τῶν Ἀχαιῶν στράτευμα διαφθεῖραι, τοῦ μὲν εὐνοοῦντος τῇ πόλει διὰ τὴν κτίσιν, τῆς δὲ μισησάσης τοὺς Ἕλληνας διὰ τὴν Αἴαντος εἰς Κασάνδραν ὕβριν. οἱ δὲ Ἕλληνες κληρωσάμενοι περὶ τῶν αἰχμαλώτων γυναικῶν τὰς ἐν ἀξιώμασιν ἔδωκαν Ἀγαμέμνωνι μὲν Κασάνδραν, Ἀνδρομάχην δὲ Νεοπτολέμῳ, Πολυξένην δὲ τῷ Ἀχιλλεῖ. ταύτην μὲν οὖν ἐπὶ τῆς τοῦ Ἀχιλλέως ταφῆς ἔσφαξαν, Ἀστυάνακτα δὲ ἀπὸ τῶν τειχῶν ἔρριψαν. Ἑλένην δὲ ὡς ἀποκτενῶν Μενέλαος ἤγαγεν, Ἀγαμέμνων δὲ τὴν χρησμῳδὸν ἐνυμφαγώγησεν. Ἑκάβη δὲ τῆς μὲν Ἑλένης κατηγορήσασα, τοὺς ἀναιρεθέντας

30 Teste Cobeto Troadum scholia codicis Neapolitani hunc gerunt in fronte titulum *Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ σχόλια εἰς τὸ δρᾶμα τῶν τοῦ Εὐριπίδου Τρῳάδων*. Nauckius l. l. p. 63 et Osannus anecd. Rom. p. 98 arbitrantur, subesse in Troadum scholiis reliquias commentariorum Aristophanis, quibus alia sint aliunde intermixta. mihi ut Schneidewino illa notatio in fronte fabulae etiam ad hypothesin pertinuisse videtur et ille titulus divisus fuisse hac ratione: *Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ*, cui inscriptioni iam subiunctum erat argumentum fabulae, et *σχόλια εἰς τὸ δρᾶμα τῶν τοῦ Εὐριπίδου Τρῳάδων* in fronte scholiorum posita, ut in aliis libris legimus *σχόλια εἰς τὰς Τρῳάδας*. ceterum Schneidewinus argumentum, quod apposui, quamquam ultra enarrationem fabulae non excedens Aristophaneum putat esse. ego in eam magis inclinaverim sententiam, Aristophanis hypothesin in libris prorsus intercidisse et solum eius titulum relictum esse *Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ*, qui facillime in unum coalescere potuit cum titulo scholiorum. quare totum hoc argumentum uncis inclusi.

δὲ κατοδυραμένη καὶ τὸν Ἀστυάνακτα κηδεύσασα πρὸς τὰς Ὀδυσσέως ἤχθη σκηνάς, τούτῳ λατρεύειν δοθεῖσα.
desunt *BCDEFG.*]

XIX argumentum Hippolyti Euripideae.

C *ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Τροιζῆνι.*

D *ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἐπαμείνονος ἄρχοντος ὀλυμπιάδι πζ' ἔτει δ'. πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων.*

F *ἔστι δὲ οὗτος ὁ Ἱππόλυτος δεύτερος καὶ στεφανίας προσαγορευόμενος. ἐμφαίνεται δὲ ὕστερος γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι. τὸ δὲ δρᾶμα τῶν πρώτων*[31].
desunt *ABEG.*

XX argumentum Hecubae Euripideae.

C *ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν τῇ ἀντιπέραν τῆς Τροίας Χερρονήσῳ· ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν αἰχμαλωτίδων Τρῳάδων, συμπαθησουσῶν* ⟨Heimsoethius *συμμαχησασῶν* cod.⟩ *τῇ Ἑκάβῃ*[32].
desunt *ABDEFG.*

XXI argumentum Supplicum Euripideae.

C *ἡ μὲν σκηνὴ (τοῦ δράματος ὑπόκειται) ἐν Ἐλευσῖνι, ὁ δὲ χορὸς (συνέστηκεν) ἐξ Ἀργείων γυναικῶν, αἳ μητέρες ἦσαν* ⟨?⟩ *τῶν ἐν Θήβαις πεπτωκότων ἀριστέων.*

F *τὸ δὲ δρᾶμα ἐγκώμιον Ἀθηνῶν.*
desunt *ABDEG.*

XXII argumentum Iphigeniae Tauricae Euripideae.

A *Ὀρέστης κατὰ χρησμὸν ἐλθὼν εἰς Ταύρους τῆς Σκυθίας μετὰ Πυλάδου παρακινηθεὶς τὸ παρ' αὐτοῖς τιμώμενον τῆς Ἀρτέμιδος ξόανον ὑφελέσθαι προῃρεῖτο. προελθὼν δ' ἀπὸ τῆς νεὼς καὶ φανεὶς ὑπὸ τῶν ἐντοπίων ἅμα τῷ φίλῳ συλληφθεὶς ἀνήχθη κατὰ τὸν παρ' αὐτοῖς ἐθισμόν, ὅπως τοῦ τῆς Ἀρτέμιδος ἱεροῦ σφάγιον γένωνται. τοὺς γὰρ καταπλεύσαντας ξένους ἀπέσφαττον* * * *

31 Ampla fabulae enarratio his anteposita habet colorem Byzantinum.

32 Vberrimam mythi enarrationem iure Thoma Magistro dignam censet Dindorfius.

C *ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Ταύροις τῆς Σκυθίας· ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ Ἑλληνίδων γυναικῶν, θεραπαινίδων τῆς Ἰφιγενείας.*

desunt *BDEFG.*

XXIII argumentum Cyclopis Euripideae.

A *Ὀδυσσεὺς ἀναχθεὶς ἐξ Ἰλίου εἰς Σικελίαν ἀπερρίφη, ἔνθα ὁ Πολύφημος· εὑρὼν δὲ δουλεύοντας ἐκεῖ τοὺς Σατύρους οἶνον δοὺς ἄρνας ἤμελλε λαμβάνειν καὶ γάλα παρ' αὐτῶν. ἐπιφανεὶς δ' ὁ Πολύφημος ζητεῖ τὴν αἰτίαν τῆς τῶν ἰδίων ἐκφορήσεως. ὁ Σειληνὸς δὲ τὸν ξένον ληστεύοντα καταλαβεῖν φησι* [33].

desunt *BCDEFG.*

XXIV argumentum Ionis Euripideae.

A *Κρέουσαν τὴν Ἐρεχθέως Ἀπόλλων φθείρας ἔγκυον ἐποίησεν ἐν Ἀθήναις· ἡ δὲ τὸ γεννηθὲν ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν ἐξέθηκε, τὸν αὐτὸν τόπον καὶ τοῦ ἀδικήματος καὶ τῆς λοχείας μάρτυρα λαβοῦσα. τὸ μὲν οὖν βρέφος Ἑρμῆς ἀνελόμενος εἰς Δελφοὺς ἤνεγκεν· εὑροῦσα δὲ ἡ προφῆτις ἀνέθρεψε, τὴν Κρέουσαν δὲ Ξοῦθος ἔγημε. συμμαχήσας γὰρ Ἀθηναίοις τὴν βασιλείαν καὶ τὸν τῆς προειρημένης γάμον ἔλαβε δῶρον. τούτῳ μὲν οὖν ἄλλος παῖς οὐκ ἐγένετο, τὸν δ' ἐκτραφέντα ὑπὸ τῆς προφήτιδος οἱ Δελφοὶ νεωκόρον ἐποίησαν. ὁ δὲ ἀγνοῶν ἐδούλευσε τῷ πατρί* * * *

C *ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Δελφοῖς.*

desunt *BDEFG.*

XXV argumentum Electrae Euripideae [34].

C *ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν ὁρίοις*

---

33 Hanc mythi enarrationem omisit Schneidewinus.

34 De hoc argumento dicit Kirchhoffius in Eurip. vol. II p. 524: *argumentum in codice esse videtur nullum, quum latinum a se ipso confectum praefixerit Victorius. itaque ne illa quidem, quae graeca latinis subiunxit idem . . . . . e codice ducta putaverim. etiam personarum index . . . . in quo omissam esse Clytaemnestrae mentionem monuit Portus, ab ipso compositus videtur Victorio, non inventus in codice.* fateor me nullam causam potuisse detegere, cur hoc argumentum in suspitionem vocaverit vir doctissimus. post fini-

τῆς Ἀργείας γῆς, ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ ἐπιχωρίων γυναικῶν.

desunt *ABDEFG.*

Argumentum Iphigeniae Aulidensis nullum est, Heraclidarum Helenae Herculis furientis non habent, unde Aristophanis disciplina cognosci queat.

Comparatis inter se quae in singulis argumentis servata, quae perdita sunt, hice evadunt partium, quas statuimus numeri. rarissimae sunt notae, quibus quota quaeque sit fabula traditur, nam bis tantum hanc rem vidimus tactam in II IX. capita (*κεφάλαια*) quae dicuntur in septem extant argumentis II V XI XII XIII XV XVI, in octo didascalica III V IX XII XIII XIV XVI XIX, in totidem iudicia de praestantia fabularum II VI VIII IX X XIV XIX XXI. decies edocemur num eundem mythum alter poeta dramati suo substraverit in I II III IV V VI IX XI XIII XVI, quater decies fabula enarratur in I II III IV VI VII VIII IX XI XIV XVIII XXII XXIII XXIV, vicies denique scaena describitur in II III V VI VII VIII IX X XI XII XIII XIV XVI XVII XIX XX XXI XXII XXIV XXV. unam partem, quam fuisse in argumentis Aristophaneis probabile est, indicem scilicet personarum[35], sciens omisi, cum nihil ad rem nostram faceret.

---

tum fol. 3 latinum argumentum in adversa folii 4 pagina argumentum et index personarum una cum novem primis fabulae versibus leguntur in editione Victoriana, ita ut credendum sit, ab hac pagina exhiberi verba codicis. id quoque parum probabile est, Victorium in conficiendo personarum indice Clytaemnestram omisisse.

35 Sic in argumento Eur. Electr. verba *προλογίζει δὲ ὁ αὐτουργός* personarum indici demum subiecta sunt. eandem sedem obtinent in arg. Herc. fur. verba *προλογίζει δὲ ὁ Ἀμφιτρύων.* cf. etiam argumentum Ocypodis Luciani, quod infra attuli.

Ex ratione, quae inter singulas argumentorum partes intercedit, in universum fortasse colligere licet, quo consilio et quem in finem sequioris aevi grammatici usi sint Aristophanis argumentis. quae cum essent condita ad omnes res illustrandas, quae non solum ipsi fabulae intellegendae necessariae essent, sed ad externam etiam dramatum historiam eorumque virtutes rectius aestimandas pertinerent, isti has res parum videntur curasse et eas solas ex argumentis excripsisse, quae fabulas primum legenti inservirent, scaenae descriptionem dico et mythi enarrationem. at ne haec quidem intacta servarunt. de fabulae enarratione res est difficilior diiudicatu, cum breves sint et membratim concisae pleraeque, in aliis paullo fusius et copiosius res explanentur, quare dubium manet, quantum in amplificandis contrahendisve enarrationibus grammaticis, quantum Aristophani sit tribuendum. in scaenae autem personarumque notationibus supersunt vestigia, quae extra omnem ponant dubitationem, quin genuinae non tam breves neque viles fuerint, quam pleraeque hodie extant. locum quidem, ubi fabula agitur, nisi paucis verbis et mira quadam omnium, quae vel tantillum ab ipso dramate abhorrerent, rerum neglegentia non videtur enotasse Aristophanes. nam in plurimis argumentis nihil aliud est nisi *ὑπόκειται ἡ σκηνὴ ἐν Δελφοῖς* (XXIV) *ἐν Ἄργει* (XVII) *ἐν Θήβαις* (XII), raro accuratius definitur urbs, ut legimus *ἐν Θήβαις ταῖς Βοιωτικαῖς* (II) et *ἐν Φεραῖς μιᾷ πόλει τῆς Θετταλίας* (IX), et vel in iis dramatis, ubi difficilius est breviter adumbratu, qui locus in scaena repraesentetur, gravissima quaeque sex septemve verbis perstringuntur, veluti in argumento Hecubae (XX) *ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν τῇ ἀντιπέραν τῆς Τροίας Χερρονήσῳ.* unum tantum exemplum, ubi non modo urbs sed pagus etiam templumque, quod in scaena conspicitur, descriptum est invenitur in argumento Oedipi Colonei (VII) *ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν τῇ Ἀττικῇ ἐν τῷ Ἱππίῳ Κολωνῷ πρὸς τῷ ναῷ τῶν σεμνῶν.* vix est dubi-

tandum, quin ea, quae de singularum fabularum scaenis concise quidem at ita tamen monuit Aristophanes, ut plenam inde scaenae imaginem possent haurire, incuria demum librariorum vel qui argumenta excripserunt grammaticorum ad viles reliquias, quas hodie habemus, sint redacta. luculentum quoddam testimonium, quam incredibili neglegentia argumenta Aristophanea excripta sint, (et vix opus est ei, qui illa perlustraverit, testimonio,) argumentum Persarum (XIII C) praebet, ubi ad indicandam scaenam gravissimum omissum est. nam si legitur *καὶ ἔστιν ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος παρὰ τῷ τάφῳ Δαρείου*, in propatulo est, praetermissum esse a librario urbis nomen, in qua tumulus Darii extructus erat. Aristophanes scripsit *ἡ σκηνὴ ὑπόκειται ἐν Σούσοις π. τ. τ. Δ.*

Non diversa ab ea ratione, qua has Aristophanis notas videmus mutilatas, alterum notarum genus in libris nostris decurtatum est. chori personae longe in plurimis hypothesibus praeter fixam formulam *ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ* duobus tantum verbis significantur veluti *ἐπιχωρίων γερόντων* (II) *γυναικῶν πολιτίδων* (III) *Φοινισσῶν γυναικῶν* (V) et quae sunt similia. in nonnullis autem paullo accuratius describuntur personae ut in arg. Philoctetae (XVI) *ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γερόντων, τῷ Νεοπτολέμῳ συμπλεόντων*, in arg. Iph. T. (XXII) *ἐξ Ἑλληνίδων γυναικῶν, θεραπαινίδων τῆς Ἰφιγενείας*. fusius etiam notantur chori personae in arg. Hec. (XX) *ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν αἰχμαλωτίδων Τρῳάδων, συμπαθησουσῶν τῇ Ἑκάβῃ* et Supplicum (XXI) *ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐξ Ἀργείων γυναικῶν, αἳ μητέρες ἦσαν τῶν ἐν Θήβαις πεπτωκότων ἀριστέων*. sequitur ex his, ut Aristophanes non solum indicaverit, chorum constare ex his illisve personis, sed, quales illae essent, paucis etiam addiderit. neque his additis substitisse sed longius processisse Aristophanem, ita ut adumbraret etiam, qua ratione dramatis actioni interessent chori personae, ex his duobus exemplis et re et verbis plane gemellis licet concludere arg. Orestis (VI)

ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν Ἀργείων ἡλικιωτίδων Ἠλέκτρας, αἳ καὶ παραγίνονται ὑπὲρ τῆς τοῦ Ὀρέστου πυνθανόμεναι συμφορᾶς, et arg. Alcestidis (IX): συνέστηκε δὲ ὁ χορὸς ἔκ τινων πρεσβυτῶν ἐντοπίων, οἳ καὶ παραγίνονται συμπαθήσοντες ταῖς Ἀλκήστιδος συμφοραῖς. certas formulas videmus vel in amplioribus expositionibus servatas. quare in his quoque de chori personis observationibus idem agnoscemus, quod in notis de fabulae scaena, pristina eas ubertate esse exutas.

De notatione personae, quae prologum recitat, ex ipsis argumentis Aristophaneis decerni nequit, utrum integra sit formula, quam uno excepto in omnibus legimus argumentis προλογίζει δὲ . . . . , an haec quoque decurtata. in Persarum argumento (XIII) longior de diversis personis, quae apud Phrynichum in Phoenissis et apud Aeschylum in Persis prologi munere funguntur disputatio eadem clauditur formula ἐνταῦθα δὲ προλογίζει χορὸς πρεσβυτῶν. unum superest hodie exemplum, ubi pro trita illa formula amplior extat annotatio de prologi persona, at in argumento, quod in una certe parte a grammatico sequioris, ut videtur Byzantini, aevi nimis est dilatatum, quam quod in ordinem Aristophanearum hypothesium recipere possemus, Aiacis nimirum. in universum duae in hoc argumento discerni possunt partes et doctrina et dicendi genere diversae. Byzantinorum hominum verbositas conspicua est in ea parte, qua de mytho Aiacis agitur (apud Dindorf. p. 26, 3 — p. 27, 10) antiqui grammatici doctrina in iis, quae antecedunt quaeque sequuntur (p. 25, 7 — 26, 2; p. 27, 11 — 28, 4). de priore parte, quae ad inscriptionem fabulae pertinet, infra paucis dicendum erit, in posteriore Aristophanem cognoscemus ex nota, quae exhibita est in codice Parisino 2712 A: ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ἐν τῷ ναυστάθμῳ πρὸς τῇ σκηνῇ τοῦ Αἴαντος. προλογίζει δὲ ἡ Ἀθηνᾶ. haec sunt Aristophanea, nisi quod post vocem δράματος intercidit ὑπόκειται. ceterum exemplum scaenae accuratius descriptae. reliqui

codices tres, quibus usus est Dindorfius, in priore enuntiati parte prorsus consentiunt cum A, pro *προλογίζει δὲ ἡ Ἀθηνᾶ* habent: *δαιμονίως δὲ εἰσφέρει προλογίζουσαν τὴν Ἀθηνᾶν. ἀπίθανον γὰρ τὸν Αἴαντα προϊόντα εἰπεῖν περὶ τῶν αὑτῷ πεπραγμένων, ὥσπερ ἐξελέγχοντα ἑαυτόν· οὐδὲ μὴν ἕτερός τις ἠπίστατο τὰ τοιαῦτα, ἐν ἀπορρήτῳ καὶ νυκτὸς τοῦ Αἴαντος δράσαντος. θεοῦ οὖν ἦν τὸ τοιοῦτον διασαφῆσαι, καὶ Ἀθηνᾶς προκηδομένης τοῦ Ὀδυσσέως, διό φησι 'καὶ πάλαι φύλαξ ἔβην τῇ σῇ πρόθυμος εἰς ὁδὸν κυνηγίᾳ.'* num haec iam Aristophanes argumento suo addiderit hodie erui nequit. hoc tamen certissimum est, ex eius nota ortam esse illam expositionem, eum totam hanc quaestionem movisse. et qui moverit quaestionem, quis potest scire, quantum idem contulerit ad eam solvendam?

Maioris etiam momenti, quam scaenae et personarum notationes, quae quantum valuerint in scholia componenda mox apparebit, nostro proposito ipsa sunt de praestantia fabularum iudicia, quae Aristophanes argumentis suis immiscuit, breviora altera, altera ampliora. breviora iudicia certa quadam constantique formula, quod in Aristophane non mirum, prolata esse videntur ita ut quae de dramate praedicanda essent casu genetivo numeri pluralis exprimerentur. sic legimus in argum. Hippol. (XIX) *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν πρώτων*, in arg. Androm. (X) *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν δευτέρων*, in arg. Or. (VI) *τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων*. similis quaedam formula in Salustii argumento Antigonae legitur *τὸ μὲν δρᾶμα τῶν καλλίστων Σοφοκλέους* [36]. non inutiliter cum brevibus his de carminum virtute observationibus comparantur, quae in nonnullis argumentis comoediarum Aristophanis de ea-

---

36 Quae in Salustii argumento de mytho Antigonae sequuntur ab aliis poetis aliter narrato et exornato nullam habent cum illo de praestantia fabulae iudicio necessitudinem, quare temere mihi videntur argumenta Aristophanis Salustiique in L esse secreta et Salustii nomen post illud iudicium ponendum.

dem re observata inveniuntur, haec quoque sine dubio ab Aristophane grammatico oriunda, veluti in arg. Acharn. I p. 1, 41 ed. Didot. *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν εὖ σφόδρα πεποιημένων*, in arg. Equitt. I p. 32, 36 *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν ἄγαν καλῶς πεποιημένων*, in arg. Nubb. III p. 77, 18 *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν πάνυ δυνατῶς πεποιημένων*, quae in amplo recentioris grammatici arg. X p. 79, 2 repetuntur, in arg. Avv. I p. 209, 7 *τὸ δρᾶμα τοῦτο τῶν ἄγαν δυνατῶς πεποιημένων*, in arg. Rann. I p. 273, 39 *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν εὖ πάνυ καὶ φιλολόγως πεποιημένων*.

Atque hic locus videtur esse exhibendi notum illud Ocypodis Lucianei argumentum, quod ad celebratissimas Aristophanis hypotheses per iocum esse assimilatum non vana est Schneidewini coniectura.

A Ὠκύπους Ποδαλειρίου καὶ Ἀστασίας υἱὸς ἐγένετο κάλλει καὶ δυνάμει διαφέρων, γυμνασίων τε καὶ κυνηγεσίων μὴ ἀμελῶν, πολλάκις δὲ θεωρῶν τοὺς ἐχομένους ὑπὸ τῆς ἀτέγκτου Ποδάγρας κατεγέλα φάσκων, μηδὲν ὅλως εἶναι τὸ πάθος. ἡ θεὸς τοίνυν ἀγανακτεῖ καὶ διὰ ποδῶν εἰστρέχει. τοῦ δ' εὐτόνως φέροντος καὶ ἀρνουμένου ὕπτιον ὅλως τίθησιν ἡ θεός.

C ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Θήβαις· ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ ἐπιχωρίων ποδαγρῶν συνελεγχόντων τὸν Ὠκύπουν [37].

F τὸ δὲ δρᾶμα τῶν πάνυ ἀστείων.

C τὰ τοῦ δράματος πρόσωπα. Ποδάγρα Ὠκύπους Τροφεὺς Ἰατρὸς Πόνος ἄγγελος. προλογίζει δὲ ἡ Ποδάγρα.

Quae licet non omnes argumentorum Aristophaneorum partes complectantur, nam desunt didascalica capitula notatio, num alter poeta eandem fabulam tractaverit, numerus denique dramatis, eae igitur partes, quibus vix ulla hypothesis caruerit, opportune tamen testantur, de praestantia carminum dixisse in argumentis Aristophanem.

37 Notatu dignum, etiam in hac hypothesi addita esse, quid agerent chori personae, quod supra contendi in omnibus argumentis Aristophanis significatum fuisse.

Brevibus his iudiciis ea quoque annumeranda sunt, quae de iis fabulis tulit Aristophanes, quarum eventus a tragica severitate alienus esse videretur. haec non minus certa formula fuisse astricta, quam quae modo apposuimus, ex duobus quae servata sunt exemplis licet colligere, in argum. Or. (VI) τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν, et in arg. Alcest. (IX) τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν. at brevia haec iudicia non ab ipso Aristophane tam arctis finibus circumscripta fuisse, quam quibus nunc ea videmus coercita, huius rei documento est argumentum Andromachae (X), quod supra emendatius, quam adhuc ferebatur exhibui. nam ut ab omnibus editoribus sine ulla, ut videtur, corruptelae, cui obnoxium est, suspitione editum est Aristophanem mirum nobis et parum prudentem iudicem declarat; mirum, quoniam fabulam, cuius omnes fere partes non mediocri effert laude, secundi ordinis esse iudicat, parum prudentem, quoniam scaenas nonnullas dramatis praedicat, quas vel caecus quidam artis Euripideae amator vix tolerabiles habeat nedum praedicet. exemplum praebet Hermionae oratio, de qua Aristophanes: ῥῆσις τὸ βασιλικὸν ὑποφαίνουσα. bis longiorem recitat sermonem Hermiona alterum initio fabulae adversus Andromacham (v. 147 sqq. Nck.) alterum in fine (v. 920 sqq.). quorum priorem cum Aristophanes commemoret verbis ὁ πρὸς Ἀνδρομάχην λόγος οὐ κακῶς ἔχων apparet, illo iudicio eum ad posteriorem spectasse. in quo si regium morem ingeniumque quaesiveris eximie eris falsus. Hermiona Andromacham aemulam, quam Troia secum duxerat Neoptolemus concubinam, de medio tollere conata quominus perpetret facinus interveniente Peleo impeditur. iam ab irato marito, qui ipsa Hermiona teste Andromacham magis adamaverat, quam legitimam uxorem, iustam expectans poenam in oratione illa omnem angorem suum metumque Oresti et choro patefacit 'iure me perdet Neoptolemus! quid habeo, quo me excusem? mitte me, o Juppiter gentilici, in terram remotissimam aut

in patriam! si domum redierit maritus necabit me turpissime aut servitutem servibo aemulae, cuius domina eram antea. et cur peccavi? perdiderunt me malignae mulieres in Andromacham me dolosis excitantes verbis. quarum perniciosis consiliis obedientem me praestans omni priore fortuna sum privata. quare, non semel dico, mariti, qui quidem sunt prudentes, non debent mulieres aedibus excipere, nam hae malorum magistrae!' num talia reginae sunt an mulierculae misere anxiae et a marito verbera pertimescentis? nihilo melius res se habet in sermone, quo in ipsam Andromacham invehitur Hermiona. quae excogitari queunt opprobria maledicta convicia, haec in eam fundit. Andromachae incantamentis effectum esse, ut invisa ipsa esset marito, ut fetu non gravesceret venter. at daturam esse Andromacham gravissimam poenam. tum enumerat cruciatus, quibus afficere velit aemulam, et postremum haec inaudita opprobria in 'barbarum genus' cumulat (v. 173 sqq.):

πατήρ τε θυγατρὶ παῖς τε μητρὶ μίγνυται
κόρη τ' ἀδελφῷ, διὰ φόνου δ' οἱ φίλτατοι
χωροῦσι, καὶ τῶνδ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος.

quis de tali reginae Hermionae oratione iudicasse Aristophanem sibi persuadeat: *καὶ ὁ πρὸς Ἀνδρομάχην λόγος οὐ κακῶς ἔχων*? ut equidem restitui argumentum recepta cod. Pal. G scriptura *ὁ πρὸς Ἀνδρομάχην λόγος οὐ καλῶς ἔχων* et mutata voce, quam omnes praebent libri, *ὑφαίνουσα* in *ὑφαιροῦσα*, omnia plana sunt et recta.

Aristophanes laudat quidem Andromachae, fabulae secundi ordinis, prologum lucidum pulchreque dictum et elegias threni, at vituperat orationem Hermionae, quippe quae regiam tollat maiestatem, et contumelias eius in Andromacham missas. Peleum contra, qui Andromacham removeret, bene esse inductum. hoc prudens est iudicium, iustum et Aristophane dignum, cuius acutum et concisum genus dicendi nemo non persentiscet. at quod maioris momenti nobis est, ex argumento ita restituto id praeterea

percipimus fructus, ut unum certe illorum iudiciorum genus, quae Aristophanes de virtutibus fabularum hypothesibus suis addidit, nova prorsus et clarissima luce videamus collustratum. si qua fabula ita fuerit comparata, ut eam Aristophanes sive propter universam indolem sive propter singularum scaenarum compositionem in numerum earum relegandam esse censeret, quas secundi ordinis esse iudicaret (*τὸ δρᾶμα τῶν δευτέρων*), iudicium eo probabat, ut enumeratis scaenis, quae ipsi non displicerent, eas adderet, quas his illis causis commotus a tragoediae sublimitate alienas putaret. et in hac quoque re certa quadam formula usus esse videtur Aristophanes, ea nempe, quae ex universa significatione *τὸ δρᾶμα τῶν δευτέρων* ultro fluxit: *ἐν τῷ δευτέρῳ μέρει.*

Quod eiusmodi argumentorum indoli altius perspiciendae ex certo hoc testimonio eruimus, id in fixa illa norma, ad quam Aristophanes fabulas solet recensere, reliquis argumentis coniectura licebit vindicare, perbrevia scilicet illa iudicia amplificata fuisse iis additis, quae aut laudem aut vituperium fabulae comprobarent. in dramatis primi ordinis (*τὸ δρᾶμα τῶν πρώτων*) ipsum Andromachae, quod vulgo ferebatur, argumentum normam praebere potest, ad quam enumeratae fuerint virtutes singularum scaenarum. in iis, quorum exitus comoediae magis propria dicitur (*τὸ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν*) non aliter atque in dramatis *τῶν δευτέρων* eas scaenas probabile est fuisse significatas, quae ex sententia Aristophanis comoediae prae se ferrent colorem. id sane vel ex decurtatis nostris argumentis cognosci potest, non satis habuisse Aristophanem in universum de praestantia fabularum monere, sed de singulis quoque scaenis personisve eum iudicasse. veluti in argum. Orest. (VI) praeter iudicium de comico fabulae exitu haec extant: *τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων, χείριστον δὲ τοῖς ἤθεσι. πλὴν γὰρ Πυλάδου πάντες φαῦλοι.* etiam ampliora de singulis scaenis leguntur in argg. Oed. Col. (VIII) et

Agam. (XIV). de his iudiciis tenendum est, non certis ea fuisse astricta normis formulisve, sed pro varietate rerum modo uberiora modo tenuiora fuisse. notandae denique sunt eae observationes, quibus quem finem spectet fabula edoceamur. eiusmodi brevior legitur in arg. Supplic. (XXI) τὸ δὲ δρᾶμα ἐγκώμιον Ἀθηνῶν, amplior in arg. Oed. Col. (VIII).

His, quae de arte in tragoediis conspicua ex ipsis Aristophaneis hausta sunt hypothesibus, unum subiungam locum, quem ἀδέσποτον inter argumenta Euripidis Phoenissarum traditum auctori suo iam reddere, ut spero, licebit. Dindorfius scholl. Eur. vol. III p. 5 quarto loco hoc argumenti alicuius fragmentum exhibet: τὸ δρᾶμά ἐστι μὲν ταῖς σκηνικαῖς ὄψεσι καλόν, ἐπεὶ[38] καὶ παραπληρωματικόν· ἥ τε ἀπὸ τῶν τειχέων Ἀντιγόνη θεωροῦσα μέρος οὐκ ἔστι δράματος, καὶ ὑπόσπονδος Πολυνείκης οὐδενὸς ἕνεκα παραγίνεται, ὅ τε ἐπὶ πᾶσι μετ' ᾠδῆς ἀδολέσχου φυγαδευόμενος Οἰδίπους προσέρραπται διὰ κενῆς. ipsa materia, membratim concisa oratio admodum similis eius, quam in argumento Andromachae deprehendimus, iudicii denique acumen suadent fragmentum illud locum habuisse in Aristophanis hypothesi. quod extat argumentum Phoenissarum mirum in modum mutilatum nihil habet de tragoediae praestantia observatum.

Iam cum de iis partibus argumentorum, quae didascalica continent et numerum fabularum, nihil habeam, quod doctae Schneidewini commentationi addam, de ea autem, qua eiusdem mythi fabulae diversorum poetarum inter se comparantur, infra paucis sim disputaturus, necesse est,

---

38 Ἐπεὶ καί vel ἐπεὶ δὲ καί codd., quod corruptum. ἔτι δέ vel ἔστι δέ coniecit Kirchhoffius. equidem gravius puto hoc loco esse peccatum. expectatur aliquid, quod ταῖς σκηνικαῖς ὄψεσι sit oppositum, veluti in arg. Or. ἐπὶ σκηνῆς et τοῖς ἤθεσι inter se opponuntur. quare ante ἐπεὶ lacuna statuenda. Heimsoethius mavult ἔχει δὲ καὶ pro ἐπεὶ δὲ καί.

priusquam vestigia persequar, quae in scholiis Aristophaneae disciplinae apparent, eos viros verbo tangam, quos ante Aristophanem hypothesibus conficiendis operam dedisse inde constat, quod eorum mentio fit in argumentis.

De Glauco Rhegino, qui in argumento Persarum commemoratur ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων, nihil certi est traditum, unde cognosci possit, quantum ex eius libro περὶ ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν conscripto Aristophanes in usum suum converterit.

Paullo certius, quam adhuc factum est, adumbrare posse mihi videor, quae ratio inter Dicaearchi Aristophanisque intercesserit argumenta. Dicaearcho, quem hypotheses confecisse disertum extat Sexti Empirici testimonium adv. math. p. 697 Bekk. ὑπόθεσις πολλαχῶς μὲν καὶ ἄλλως προσαγορεύεται . . . . . καθ' ἕνα μὲν τρόπον ἡ δραματικὴ περιπέτεια, καθὸ καὶ τραγικὴν καὶ κωμικὴν ὑπόθεσιν λέγομεν καὶ Δικαιάρχου τινὰς ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων, in codice Florentino plutei XXXII n. 2 duo argumenta tribuuntur Medeae et Alcestidis. at de priore sublesta fit fides libri, cum in ipso argumento ad finem Dicaearchus una cum Aristotele laudetur. quare qui Dicaearchum auctorem servari vult, cum Dindorfio statuere debet, inde a verbis τὸ δρᾶμα δοκεῖ (vol. III p. 2, 11) alterius grammatici incipere expositionem. quae Dicaearcho relinquuntur praeter enarrationem fabulae sat perspicuam et concisam observationes continent de mytho Medeae et Iasonis a variis poetis historicisque vario modo relato. e poetis nominantur Simonides, qui νόστους scripsit, Aeschylus, ex historicis Pherecydes Staphylus. Alcestidis argumentum non habet cur Dicaearchi auctoritatem in suspitionem vocemus. quod cum nihil contineat nisi enarrationem fabulae non dissimilem quidem alteri, de indole hypothesium a Dicaearcho confectarum materiisque ab eo tractatis novi quidquam inde non percipimus. ter praeterea commemoratur Dicaearchus in argumentis tragoediarum, semel in hypothesi

Ranarum. in argumento Oedipi Regis, quo de inscriptione fabulae agitur, Dicaearchus laudatur testis, Sophoclem cum hanc fabulam doceret victum esse a Philocle (II p. 12 Dind.) *χαριέντως δὲ ΤΥΡΑΝΝΟΝ ἅπαντες αὐτὸν ἐπιγράφουσιν, ὡς ἐξέχοντα πάσης τῆς Σοφοκλέους ποιήσεως, καίπερ ἡττηθέντα ὑπὸ Φιλοκλέους, ὥς φησι Δικαίαρχος.* in Aiacis argumento traditur Dicaearchus inscripsisse hanc tragoediam *Αἴαντος θάνατος*, eique opponuntur didascaliae, in quibus merum Aiacis nomen dramati sit praefixum (II p. 26 Dind.) *Δικαίαρχος δὲ ΑΙΑΝΤΟΣ ΘΑΝΑΤΟΝ ἐπιγράφει. ἐν δὲ ταῖς διδασκαλίαις ψιλῶς ΑΙΑΣ ἀναγέγραπται.* similis est ratio in argumento Rhesi ampliore (secundo Dindorfii). ibi de difficili illa quaestione, num Euripidea sit Rhesus haec leguntur: *τοῦτο τὸ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν, Εὐριπίδου δὲ μὴ εἶναι· τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνει ⟨ὑποφαίνειν?⟩ χαρακτῆρα. ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται, καὶ ἡ περὶ τὰ μετάρσια δὲ ἐν αὐτῷ πολυπραγμοσύνη τὸν Εὐριπίδην ὁμολογεῖ. πρόλογοι δὲ διττοὶ φέρονται. ὁ γοῦν Δικαίαρχος ἐκτιθεὶς τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Ῥήσου γράφει κατὰ λέξιν οὕτως ʻνῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος' — καὶ ἐν ἐνίοις τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος κτλ.* praecedit his verbosa fabulae enarratio. ex Dicaearcho, qui laudatur ubi de duplici fabulae prologo sermo est, ea quoque sumpta esse, quae de dramate suppositicio disputarentur recte statuit Kirchhoffius, qui primus accuratius de hoc argumento egit in Philologi vol. X p. 559 sqq. nam eodem modo, quo in argumento Aiacis Dicaearcho opponuntur didascaliae, hic ex didascaliis refutatur sententia eiusdem, qui postea nominatim laudatur. veluti idem, qui haec excerpsit, primum in universum refert *πρόλογοι δὲ διττοὶ φέρονται* et tum demum addit *ὁ γοῦν Δικαίαρχος κτλ.* didascalias ipsas huic compilatori non in promptu fuisse, idem observavit Kirchhoffius; at quod vir doctissimus in simplicissimam coniecturam, ex Aristophanis argumento eas compilatorem derivasse, monet, earum non mentionem fieri in Aristophanis argumento,

nullam habet cogendi vim, cum, etiamsi desunt didascalica in nostro Aristophanis argumento mutilo et decurtato, certe in genuino illo non defuerint. impugnatum esse et aliis in rebus Dicaearchum ab Aristophane ex Athenaei loco III p. 85 F constat: *ὁ δὲ Ἀριστοφάνης γράψει ἀντὶ τοῦ λέπας χέλυς, καί φησιν οὐκ εὖ Δικαίαρχον ἐκδεξάμενον λέγειν τὰς λεπάδας.* quae si recte sunt disputata in argumento Rhesi haec sunt derivata ex Aristophane: *ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται, καὶ ἡ περὶ τὰ μετάρσια δὲ ἐν αὐτῷ πολυπραγμοσύνη τὸν Εὐριπίδην ὁμολογεῖ.* quibuscum conferatur scholion Alc. 962 *ἐγὼ καὶ διὰ μούσας: ὁ ποιητὴς διὰ τοῦ προσώπου τοῦ χοροῦ βούλεται δεῖξαι ὅσον μετέσχε τῆς παιδεύσεως· καὶ περὶ μετεώρων ἐφρόντισα, οἷον ἠστρολόγησα, καὶ ὁρμὴν ἐπὶ τούτῳ ἔσχον.* ceterum is, cui secundum debemus Rhesi argumentum, non censendus est ipso Dicaearchi libro usus esse; potuit de huius sententia certior fieri ex Aristophane, quem non modo contradixisse Dicaearcho, sed quae vera et utilia praeberet, in sua argumenta recepisse ex hac Ranarum hypothesi luculenter mihi videtur apparere (p. 273, 9 Didot.) *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν εὖ πάνυ καὶ φιλολόγως πεποιημένων. ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια. πρῶτος ἦν· δεύτερος Φρύνιχος Μούσαις· Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι. οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν, ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος.* haec Aristophanea esse in propatulo est. fortasse ex eodem Dicaearcho sumpta sunt quae leguntur in arg. Antig. *φασὶ δὲ τὸν Σοφοκλέα ἠξιῶσθαι τῆς ἐν Σάμῳ στρατηγίας, εὐδοκιμήσαντα ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς Ἀντιγόνης.*

Ceterum admodum est probabile praeter Dicaearchi argumenta Aristophanem etiam librum eius *περὶ ἀγώνων* in usum suum convertisse. immo ex Dicaearchi opere *περὶ Ἑλλάδος βίου* non nulla profecisse argumentorum scriptores testatur arg. Med. I: *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι παρὰ Νεόφρονος διασκευάσας, ὥς Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασι.* quan-

tum ὑπομνήματα Aristotelis, qui praeter Glaucum et Dicaearchum ex iis, qui ante Aristophanem vixerunt, unus memoratur, in Aristophanis argumenta edenda valuerint, hodie erui non potest. Schneidewino Aristoteles et qui erant ab eo in didascalicis contrahendis videntur acquievisse. id contra et per se expectandum erat et variis exemplis probatur, Aristophanis observationes de arte tragica factas haud raro in unum convenire cum iis, quae de universa arte poetica in libro superstite praecipit Aristoteles. nam ut huius praecepta derivata sunt ex amplissimo ipsarum tragoediarum studio cum quaestionibus de universis artis legibus coniuncto, ita is in singulis singularum fabularum locis usum et consuetudinem poetarum notavit eorumque de arte iudicium tulit. quare quae ex Aristotelis libro adsciscі possunt ad explicanda scholia vel argumenta utilia, suo quaeque loco enotavi.

Ceteri similium rerum scriptores veluti Heraclides Ponticus, quem Euripidis κεφάλαια conscripsisse scita est Adolfi Trendelenburgi coniectura eaque Schneidewino probata, Theophrastus Asclepiades Tragilensis, Hieronymus Rhodius, Callimachus, quorum fragmenta Muellerus Nauckius Schneidewinus alii collegerunt, in argumentis non nominantur, quare quid iis debuerit Aristophanes certo ostendi nequit [39].

---

39 De Salustio, cui in libris tribuuntur argumentum secundum Antigonae et quartum Oedipi Colonei et qui, ut nomen docet, Romanus est multo inferioris Aristophane aetatis, non est, cur repetam, quae Schneidewinus et Dindorfius monuerunt. id unum addam, argumenta illa inter se mirum in modum dissimilia esse. nam cum in argumento Antigonae, quod ex optimae doctrinae fontibus hausisse Salustium docet, varii qui apud Ionem Mimnermum poetas tragicos feruntur mythi de Antigona et Ismena docte exponuntur breviterque fabulae Sophocleae κεφάλαια perstringuntur, argumentum Oedipi nihil continet nisi amplam primae dramatis scaenae enarrationem, cui nescio quo sententiarum nexu iudicium additur

Quousque igitur nos possumus progredi in perscrutandis harum litterarum incunabulis, Aristophanes Byzantius is est, qui primus inter grammaticos ad artem poetarum scaenicorum aestimandam animum adverterit eamque certa quadam norma explicuerit non ad diiudicandas quaestiones criticas, nam hoc iam ante eum in Homero praecipue factum videmus, aut ut narratiunculas referret, quae splendida ingenii opera ex externo apud multitudinem successu aestimata celebrarent, sed ut sibi aliisque virtutes pariter atque vitia fabularum ante oculos poneret, quo singula quaeque rectius intellegerentur. et sat ampla est rerum multitudo, quas ad artem spectantes vel in exiguis illius reliquiis tractatas repperimus. comparantur fabularum, in quibus idem repraesentatur mythus, oeconomia ab aliis poetis aliter instituta, disputatur de prologo, significatur paucis exitus dramatis, notantur singulae scaenae tam praeclarae et admiratione dignae, quam minus perfectae et vitiosae, observatur de personarum moribus et ipsorum actorum et eorum, ex quibus chorus compositus est, tangitur etiam, quem finem spectet drama, assignantur denique fabulae pro sua quaeque praestantia certis quibusdam classibus.

Iam nostrum est quaerere, num in argumentis recentiorum grammaticorum scholiisve eaedem quaestiones inveniantur institutae, quas ab Aristophane partim motas partim solutas videmus. quas si invenerimus, habebimus etiam, ad quemnam auctorem eas referamus.

Proficiscamur a comparatione illa, quam Aristophanes inter Sophoclis Euripidisque Antigonam instituit in arg. II *B*: *κεῖται ἡ μυθοποιία καὶ παρὰ Εὐριπίδῃ ἐν Ἀν-*

ἄφατος δέ ἐστι καθόλου ἡ οἰκονομία ἐν τῷ δράματι, ὡς οὐδενὶ ἄλλου σχεδόν, quod ex breviore Aristophanis fluxit *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν θαυμαστῶν.*

τιγόνῃ· πλὴν ἐκεῖ φωραθεῖσα μετὰ τοῦ Αἵμονος δίδοται πρὸς γάμου κοινωνίαν καὶ τίκτει τὸν Αἵμονα. schol. Ant. 1350 ὅτι [40] διαφέρει τῆς Εὐριπίδου Ἀντιγόνης αὕτη, ὅτι φωραθεῖσα ἐκείνη διὰ τὸν Αἵμονος ἔρωτα ἐξεδόθη πρὸς γάμον· ἐνταῦθα δὲ τοὐναντίον. arg. V *B* ἡ μυθοποιία κεῖται καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας πλὴν ἐκεῖ τῆς Ἰοκάστης * * *. ad prologi oeconomiam apud varios poetas variam haec spectant: arg. XIII *B* Γλαῦκος ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου φησὶ τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι. ἐκτίθησι δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ δράματος ταύτην 'τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων' πλὴν ἐκεῖ εὐνοῦχός ἐστιν ἀγγέλλων ἐν ἀρχῇ τὴν Ξέρξου ἧτταν, στορνύς τε θρόνους τινὰς τοῖς τῆς ἀρχῆς παρέδροις, ἐνταῦθα δὲ προλογίζει χορὸς πρεσβυτῶν. schol. Phil. 1 καὶ παρὰ τούτῳ προλογίζει ὁ Ὀδυσσεὺς καθάπερ καὶ παρ' Εὐριπίδῃ. ἐκεῖνο μέντοι διαφέρει, παρ' ὅσον ὁ μὲν Εὐριπίδης πάντα τῷ Ὀδυσσεῖ περιτίθησιν, οὗτος δὲ τὸν Νεοπτόλεμον παρεισάγων διὰ τούτου οἰκονομεῖται. ultima haec in libris nostris post indicem personarum leguntur, eo igitur loco, ubi haud raro brevius illud προλογίζει δὲ . . . . extat, vide argg. Agam. et Ocyp. unum exemplum longioris dissertationis in breve illud προλογίζει δὲ contractae iam supra p. 23 ex argumento Aiacis exhibuimus, unde scholion, quod ad hoc observationum genus referendum est, originem videtur duxisse ad Aiac. v. 34 εὐφυῶς δὲ ἄρχεται ὑποθέσεως ὁ ποιητής, ὥστε τρανῶσαι τὸ πᾶν διὰ τῆς Ἀθηνᾶς. θεραπεύει δὲ ὁ Ὀδυσσεὺς τὴν Ἀθηνᾶν, ἵνα καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς ἕξῃ αὐτὴν εὐμενῆ.

Illo τρανῶσαι τὸ πᾶν ad officium prologi ducimur ad quod frequentes in scholiis observationes pertinent, ut brevis scilicet argumenti delineatio eo exhibeatur. de qua re quamquam Aristophanes, quantum quidem ex argumentis

40 Notas appositas fuisse poetis scaenicis ad dissensum non solum cum Homero sed etiam cum aliis poetis notandum observavit Schraderus in libello *de notatione critica a veteribus grammaticis in poetis scaenicis adhibita* p. 19.

superstitibus cognoscere possumus, disertis verbis non disputat, id tamen admodum veri simile est, eum ansam de hac re disputandi posterioribus dedisse grammaticis. Aristophanes notitiam tam argumenti fabulae quam scaenae personarumque inprimis ex fabulae prologo hausit, cum hoc potissimum poetae spectatores de iis rebus certiores facerent, quae ad intellegendam fabulae actionem necessariae essent. neque ex uno prologi loco ea discere potuit Aristophanes, sed per totam primam scaenam dispersa conquirere debuit, unde mythi scaenae personarum imaginem sibi componeret. iam si inspicimus scholia, eos ipsos locos, qui novi aliquid ad accuratiorem harum rerum cognitionem afferant, mira quadam diligentia per totum prologum videmus notatos. quod cur faceret scholiasta eam puto fuisse causam ut id, quod in argumento Aristophanis expositum videret, ad ipsam fabulam examinaret. longius non possum procedere; nam si constaret, Aristophanem in Sophoclem etiam, ad cuius prologos pleraeque eiusmodi observationes pertinent, commentarios scripsisse, nullus dubitarem contendere ab eo ipso notatos esse illos prologorum locos. sufficiet ex unius Aiacis fabulae scholiis ea, quae huc spectant, apponere.

1 *πάρεστιν Ὀδυσσεὺς ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀγωνιῶν καὶ πολυπραγμονῶν, μή τι ἀπὸ ἐχθροῦ πάθῃ. πάντα δὲ τὰ τῆς ὑποθέσεως συνεκτικῶς ἐδήλωσεν ἐν τῷ προοιμίῳ, πρὸς τίνα ὁ λόγος, καὶ ποῦ ἡ σκηνή, καὶ τί πράττει Ὀδυσσεύς. ἐν δὲ τῷ 'πεῖράν τινα' ἤδη ἴχνος τι κατέθετο τῆς ὑποθέσεως, ὡς περὶ ἐχθρὸν ἥκει· δεῖ δὲ πάντα τὰ τῆς ὑποθέσεως συνεκτικὰ εἶναι ἐν ἀρχῇ.*

23 *καλῶς δὲ τοῦτο ἐποίησεν, ἵνα συνέχηται*[41] *ἔτι ἡ ὑπόθεσις καὶ τὸ ἄπιστον εἰς ἀμφίγνοιαν ἄγηται.*

38 *ἐν τοῖς ἀμοιβαίοις κατὰ βραχὺ δηλοῦται ἡ ὑπόθεσις· πυνθάνεται δὲ* ⟨*δέ* add. FG⟩ *πρῶτον, εἰ ἄρα πρὸς καιρὸν πονῶ· εἰ γὰρ αὐτός ἐστιν ὁ τὸν φόνον δράσας, πρὸς καιρὸν ἂν εἴη πονῶν ὁ Ὀδυσσεύς.*

41 *Ἵνα συνέχηται* FG litterae in L oblitteratae.

41 *χολῷ βαρυνθείς*: *ὁ μὲν Ὀδυσσεὺς πυνθάνεται πρὸς τί αὐτῷ χρήσιμον· ἡ δὲ τὴν αἰτίαν ἐπήγαγεν, ὑφ' ἧς κινηθεὶς εἰς χόλον ἤχθη. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ λεῖπον τῆς ὑποθέσεως. ἡμεῖς δὲ ὡς προεπιστάμενοι τὰ πράγματα ἀμβλύτερον κατανοοῦμεν* [42].

62 *τοὺς ζῶντας*: *τοὺς ζῶντας τῶν βοῶν δήσας ὡς αἰχμαλώτους ἄνδρας ἄγει καὶ τὰ λοιπὰ ποίμνια· πιθανὸν δὲ καὶ τοῦτο προειρῆσθαι, ἵνα, ὅταν εἴπῃ ἡ Τέκμησσα περὶ τοῦ κριοῦ, προεπιστώμεθα* ⟨Br. *προεπιστάμεθα* L⟩· *τοῦτο.*

Neque in argumentis omnis eiusmodi observationum memoria evanuit. nam in recentioris grammatici arg. Or. III p. 7, 8 leguntur *ἔθος τοῖς τραγικοῖς τὸ ἐν προοιμίῳ ὡς ἐν ὀλίγῳ παραδηλοῦν τοῦ ὅλου δράματος τὴν ἔννοιαν. ὡς καὶ ἐνταῦθα ποιεῖ ὁ Εὐριπίδης καὶ πανταχοῦ*, quod de uno Euripide praedicat Thomas Magister in vita Eur. I p. 12 *πολλὰ γὰρ εἰς τὴν τέχνην ἐξεῦρεν, ἃ οὐδειστισοῦν γε τῶν πρὸ αὐτοῦ· τό τε γὰρ ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος τὴν ὑπόθεσιν διατυποῦν καὶ τὸν ἀκροατὴν ὥσπερ χειραγωγεῖν εἰς τὸ ἔμπροσθεν Εὐριπίδου τέχνημα.* ceterum meminerimus, Aristophanem in Andromachae argumento etiam de prologo dixisse *ὁ πρόλογος σαφῶς καὶ εὐλόγως εἰρημένος*, ubi *σαφῶς* tam de perspicuitate dictionis quam rerum expositionis intellegi potest. de prologo haec hactenus.

Aliud genus observationum Aristophanearum ad exitum fabularum spectat. vidimus de Alcestide iudicare Aristophanem in arg. IX *F τὸδὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν.* quod iudicium dilatatum et aliis verbis expressum recentior quidam grammaticus repetit IV p. 87, 8

42 Quod scholiasta dicit obscurum est et, ut tradita sunt verba, vix intellegendum. fortasse hoc voluit: 'quoniam ex prologo didicimus, Aiacem vesanum proditurum esse in scaenam, minore afficimur metu ac terrore tum, cum ipsum videmus mente captum atque insanientem. terribilis qui expectatur eventus hebetioris nos animi deprehendit, quam qui ignoratur.

τὸ δὲ δρᾶμά ἐστι σατυρικώτερον[43], ὅτι εἰς χαρὰν καὶ ἡδονὴν καταστρέφει. παρὰ τῶν τραγικῶν[44] ἐκβάλλεται ὡς ἀνοίκεια τῆς τραγικῆς ποιήσεως ὅ τε Ὀρέστης καὶ ἡ Ἄλκηστις, ὡς ἐκ συμφορᾶς μὲν ἀρχόμενα, εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καὶ χαρὰν λήξαντα, ἅ ἐστι μᾶλλον κωμῳδίας ἐχόμενα. opportune de Oreste Aristophanis iudicium, ad quod provocat grammaticus, servatum est in arg. VI *F* τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν, unde fluxerunt schol. Or. 1691 τοῦτο τὸ δρᾶμα ἐκ τραγικοῦ κωμικόν· ἐκ γὰρ συμφορῶν εἰς εὐθυμίαν κατήντησεν. arg. Or. III p. 7, 10 τὸ δὲ δρᾶμα τῆς Ἑκάβης καὶ τοῦ παρόντος δράματος τὸ τέλος ἀπὸ πένθους ἄρχονται καὶ λήγουσιν εἰς χαράν. schol. Or. 1691 ἡ κατάληξις τῆς τραγῳδίας ἢ εἰς θρῆνον ἢ εἰς πάθος καταλύει, ἡ δὲ τῆς κωμῳδίας εἰς σπονδὰς καὶ διαλλαγάς. ὅθεν ὁρᾶται τό-

---

43 Hoc vocabulo grammaticus non altius accuratiusve describit fabúlae indolem, quam re vera dramatis satyrici loco repraesentatam esse notum est, nam quae adiecta est definitio, ὅτι εἰς χαρὰν καὶ ἡδονὴν στρέφει eadem est atque Aristophaneae vocis κωμικώτερον, ut allata demonstrant exempla. ipse grammaticus postea dicit ἅ ἐστι μᾶλλον κωμῳδίας ἐχόμενα. id est studium recentioribus grammaticis proprium, ut, ubi fieri potest, pro genuinis notarum, quas excribunt, vocabulis synonyma ponant, ut vocabulorum certe novitate speciem propriae doctrinae servent. ceterum hanc de comico, ut dicunt, tragoediarum nonnullarum exitu, veluti Orestis Alcestidis Electrae Sophocleae, quaestionem usque ad Tzetzarum aetatem nunquam intermissam esse, docent testimonia, quae collegit O. Iahnius Electrae p. 21.

44 Sic libri, praeter H, in quo παρὰ τοῖς τραγικοῖς. mutarunt editores in παρὰ τῶν κριτικῶν vel γραμματικῶν nulla veri specie. solemnis in huiusmodi notis est usus de tragico fabularum initio monendi, veluti τὸ δρᾶμα ἐκ τραγικοῦ κωμικόν, ἐκ συμφορᾶς μὲν ἀρχόμενα, εἰς εὐδαιμονίαν δὲ κτλ., ἐκ συμφορῶν εἰς εὐθυμίαν κατηντηκός, ἀπὸ πένθους ἄρχονται καὶ λήγουσιν εἰς χαράν et quae sunt similia. quare pro certo habeo, verba παρὰ τῶν τραγικῶν ad priora esse trahenda. quid scripserit grammaticus dubium. potuit ἐκ τραγικῶν vel ἀρχόμενον ἐκ τραγικῶν κτλ. fortasse verum est, quod amicus quidam mecum communicavit, pro παρὰ τῶν τραγικῶν scribendum esse παρὰ τὸ τραγικόν.

δε τὸ δρᾶμα κωμικῇ καταλήξει χρησάμενον. διαλλαγαὶ γὰρ πρὸς Μενέλαον καὶ Ὀρέστην. ἀλλὰ καὶ ἐν Ἀλκήστιδι ἐκ συμφορῶν εἰς εὐφροσύνην καὶ ἀναβιοτήν. καὶ ὁμοίως καὶ ἐν Τυροῖ Σοφοκλέους ἀναγνωρισμὸς κατὰ τὸ τέλος γίνεται, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν πολλὰ τὰ τοιαῦτα ἐν τῇ τραγῳδίᾳ εὑρίσκεται. Thomas Magister[45] denique eadem profert his verbis in arg. IV p. 9, 23 ἰστέον δὲ ὅτι πᾶσα τραγῳδία σύμφωνον ἔχει καὶ τὸ τέλος· ἐκ λύπης γὰρ ἄρχεται καὶ εἰς λύπην τελευτᾷ. τὸ παρὸν δὲ δρᾶμά ἐστιν ἐκ τραγικοῦ κωμικόν· λήγει γὰρ εἰς τὰς παρ' Ἀπόλλωνος διαλλαγὰς ἐκ συμφορῶν εἰς εὐθυμίαν κατηντηκός· ἡ δὲ κωμῳδία γέλωσι καὶ εὐφροσύναις ἐνύφανται. haec omnia suum redolent fontem. postulatur ut a tragoedia exitus arceatur, qui comoediae sit proprius. quod paucissimis verbis expressit Aristophanes, dilatarunt posteriores grammatici eo, ut quae nullo negotio ex illius iudicio depromi possent postulata adderent et rem exemplis illustrarent. sic quo recentiores eo ampliores et ieiuniores fiunt observationes. ceterum in his observationibus primum habemus exemplum consensus Aristophanis cum Aristotelis praeceptis, qui de hac re docet in AP. 13 p. 1453ᵃ 12 ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον — μεταβάλλειν οὐκ εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἀλλὰ τοὐναντίον ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν. ib. 35 ἔστι δὲ οὐχ αὕτη ἀπὸ τραγῳδίας ἡδονή ⟨quae scilicet percipitur ex felici fabulae

45 In Addendis ad volumen tertium Dindorfius de Phoenissarum Orestisque argumentis Byzantinis haec disputat IV p. 260: *his praescribere debebam Θωμᾶ τοῦ Μαγίστρου nomen, pariterque ὑποθέσει Orestis vol. II p. 7, 13 — 9, 27. nam huius grammatici omnia sunt et prolegomena et scholia et glossemata, quae in Gu. reperiuntur, ut ostendi in praefatione voluminis primi, estque τοῦ σοφωτάτου μαγίστρου nomen utriusque fabulae ὑποθέσει praescriptum in codice Bibliothecae Angelicae, de quo ibidem dixi. accedit ad haec disertum ipsius Thomae testimonium de ὑποθέσει Phoenissarum in iis quae de Oedipi fatis in argumento Aeschyli Septem ad Thebas fabulae scripsit, ἐγράφη δὲ ἡ ἱστορία αὕτη ἐξ ἀρχῆς κατὰ λεπτὸν ἐν Φοινίσσαις Εὐριπίδου.*

eventu〉, *ἀλλὰ μᾶλλον τῆς κωμῳδίας οἰκεία· ἐκεῖ γάρ, ἂν οἱ ἔχθιστοι ὦσιν ἐν τῷ μύθῳ, οἷον Ὀρέστης καὶ Αἴγισθος, φίλοι γινόμενοι ἐπὶ τελευτῆς ἐξέρχονται, καὶ ἀποθνήσκει οὐδεὶς ὑπ' οὐδενός.*

Arcte cum his de comico fabularum exitu observationibus cohaerent, quae de singulis scaenis a tragica sublimitate alienis in scholiis annotata inveniuntur. quae quamvis iam ex rei similitudine Aristophanis disciplinae tribuere possimus, tamen non inutile erit unum exemplum afferre, ubi etiam externum quoddam testimonium Aristophanis doctrinam declarat. collatis cum Aristophanis iudicio, quod in argumento Andromachae restituto de Hermionae convitiis in Andromacham missis fert: *ἐν τῷ δευτέρῳ μέρει — ὁ πρὸς Ἀνδρομάχην λόγος οὐ καλῶς ἔχων*, iis quae scholiasta ad eiusdem fabulae v. 32 *λέγει γάρ ὥς νιν φαρμάκοις κεκρυμμένοις* annotat: *οἱ φαύλως ὑπομνηματισάμενοι ἐγκαλοῦσι τῷ Εὐριπίδῃ φάσκοντες, ἐπὶ τραγικοῖς προσώποις κωμῳδίαν αὐτὸν διατεθεῖσθαι· γυναικῶν τε γὰρ ὑπονοίας κατ' ἀλλήλων καὶ ζήλους καὶ λοιδορίας καὶ ἄλλα ὅσα εἰς κωμῳδίαν συντελεῖ, ταῦτα ἀπαξάπαντα τοῦτο τὸ δρᾶμα ἀπειληφέναι, ἀγνοοῦντες. ὅσα γὰρ εἰς τραγῳδίαν συντελεῖ ταῦτα περιέχει, τὸν θάνατον τοῦ Νεοπτολέμου καὶ θρῆνον Πηλέως ἐν τέλει, ἅπερ ἐστὶ τραγικά*, patet primum, quo pertineant illa *γυναικῶν τε γὰρ ὑπονοίας κατ' ἀλλήλων καὶ λοιδορίας*, ad obiurgationes nempe Hermionae Andromachaeque, deinde, quis fuerit unus certe ex *φαύλως ὑπομνηματισαμένοις*. nam Aristophanes illum ipsum locum ambarum mulierum altercationibus insignem vituperat, quem miris quidem argumentis defendere studet scholiasta, multo recentioris haud dubie aevi grammaticus. cuiusnam verba sint, quae affert (*φάσκοντες* . . . . . .) infra, clarum fiet. hic sufficit intellexisse, oriundum esse vituperium Euripidis ab Aristophane, repetitum et longius expositum ab altero quodam grammatico, refutatum ab homine recentiore mediocris valde ingenii. ex scholiis Sophocleis apte huc adscisci queunt, quibus Teucri Menelai-

que altercationes culpantur, ad Aiac. 1123 κἂν ψιλὸς ἀρκέσαιμι: τὰ τοιαῦτα σοφίσματα οὐκ οἰκεῖα τραγῳδίας· μετὰ γὰρ τὴν ἀναίρεσιν ἐπεκτεῖναι τὸ δρᾶμα θελήσας ἐψυχρεύσατο καὶ ἔλυσεν τὸ τραγικὸν πάθος. ib. 1126 ὁ μὲν εἶπεν, ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, ὁ δὲ τῆς φωνῆς ἀντιλαμβάνεται. τὸ δὲ τοιοῦτο κωμῳδίας μᾶλλον, οὐ τραγῳδίας. quod annotationum genus quoniam mihi iterum tangendum erit in altero prolegomenon capite, nunc persequar cetera disciplinae Aristophaneae vestigia.

Quam longe Euripidis personae ab heroum natura distarent et ad miserrimorum mortalium ingenia moresque detracti essent, Aristophanum par, hic populum Atheniensem, ille grammaticorum gregem videtur edocuisse. ut Hermionae reginae flebilem orationem grammaticus notat in arg. Andr. ἐν τῷ δευτέρῳ μέρει ῥῆσις Ἑρμιόνης τὸ βασιλικὸν ὑφαιροῦσα, et mendicissimi Oedipi habitum castigat scholiasta ad Phoen. 1539 ὅλως ἐν πᾶσιν ὁ Εὐριπίδης πτωχοποιός ἐστι, καὶ νῦν ὁ Οἰδίπους οὐδὲ ὁδηγὸν αὐτῷ ἔχει ἐν τῇ πατρίδι ὤν, ἀλλὰ καὶ μόνος ἐκπορεύεται ἑαυτὸν ὁδηγῶν, ita poeta universam heroum Euripideorum naturam festivis illis Dicaeopolidis versibus carpit Acharn. 412

ἀτὰρ τί τὰ ῥάκι' ἐκ τραγῳδίας ἔχεις,
ἐσθῆτ' ἐλεινήν; οὐκ ἐτὸς πτωχοὺς ποιεῖς;

ubi scholiasta κωμῳδεῖ οὖν αὐτὸν ὡς πτωχοὺς καὶ ταπεινοὺς εἰσάγοντα τοὺς ἥρωας. cfr. ib. 426. Sophoclei contra Oedipi indolem aliter comparatam esse significat schol. OR 93 ἐς πάντας αὔδα: ἀξίως τοῦ βασιλικοῦ ἤθους δημοσίᾳ φράζειν κελεύει· ἅμα μὲν ἐπεὶ μηδὲν ὑποπτεύει περὶ ἑαυτοῦ καὶ οἴεται θεοφιλὴς εἶναι, ἅμα δὲ καὶ ὑπὲρ τοῦ [46] ἐν μέσῳ ῥηθέντων ἀνυσθῆναι τὰ τῆς ἀναζητήσεως. quod loci, ubi Euripides heroum naturam servavit religiose a scholiasta indicantur, huius rei haud levissimam causam iudico Aristophanis vituperationem. schol. Hec. 342 ὁρῶ

46 Pro ὑπὲρ τοῦ G ὑπὸ τῶν exhibet, unde forte coniicias ante ἐν μέσῳ intercidisse τούτων.

σ' Ὀδυσσεῦ: ἐνταῦθα ἐφύλαξεν ὁ Εὐριπίδης τὸ ἡρωικὸν ἦθος. οὐ γὰρ ταπεινῶς ἀλλὰ μετὰ παρρησίας τὴν Πολυξένην λέγειν εἰσήνεγκεν. cfr. schol. Med. 823. 1046. et defensor Euripidis, quem modo vidimus Aristophanis castigationes fortiter impugnantem, suo more de magnanimitate personarum dicit in schol. Phoen. 909 βούλει παρόντος: ἔδει, φασί[47], μὴ ἀντικρὺ τοῦ Μενοικέως λέγειν τὰ περὶ τῆς σφαγῆς αὐτοῦ, ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἑτέρωθι ποιεῖ ⟨Ion. v. 1503⟩ 'δεῦρ' ἔλθ', ἐς οὖς σοι'. λέγοι δ' ἄν τις ὅτι γεννικόν ἐστι τὸ πρόσωπον καὶ φιλόδοξον, ὡς καὶ τὴν ψυχὴν προέσθαι ὑπὲρ εὐκλείας. quae de Antigona Ismenaque dicuntur in arg. OC ἦσαν γὰρ τῶν ἀρσένων περὶ τὸν πατέρα φιλοστοργότεραι gemella habent in scholl. Antig. 82. 423. Ai. 825 aliis, de quibus sat est monuisse, cum infra coniunctas editurus sim reliquias, quae ad personarum mores ingeniaque spectent.

Quae de celebrata in fabulis poetarum patria monuit Aristophanes, eorum duo supersunt in argumentis fragmenta in XXI *F* τὸ δὲ δρᾶμα ἐγκώμιον Ἀθηνῶν et in VIII *F* τὸ δὲ δρᾶμα τῶν θαυμαστῶν· ὃ καὶ ἤδη γεγηρακὼς ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησε[48], χαριζόμενος οὐ μόνον τῇ πατρίδι, ἀλλὰ καὶ τῷ ἑαυτοῦ δήμῳ· ἦν γὰρ Κολωνῆθεν· ὥστε τὸν μὲν δῆμον ἐπίσημον ἐπιδεῖξαι, χαρίσασθαι δὲ καὶ τὰ μέγιστα τοῖς Ἀθηναίοις, δι' ὧν ἀπορθήτους ἔσεσθαι καὶ τῶν ἐχθρῶν αὐτοὺς κρατήσειν ὑποτίθεται ὁ Οἰδίπους, προαναφωνῶν ὅτι διαστασιάσουσι πρὸς Θηβαίους ποτὲ καὶ τούτων κρατήσουσιν ἐκ χρησμῶν διὰ τὸν τάφον αὐτοῦ. harum observationum admodum similes sat multae in scholiis cum aliarum fabularum tum ipsius Oedipi Colonei inveniuntur, quae iam dicendi genere communem produnt originem,

47 Φασί scripsi, φησί codd. cfr. scholl. Phoen. 202 Ai. 828.

48 Similiter Aristophanes de tempore Hippolyti Euripideae in XIX F ἔστι δὲ οὗτος ὁ Ἱππόλυτος δεύτερος καὶ στεφανίας προσαγορευόμενος. ἐμφαίνεται δὲ ὕστερος γεγραμμένος· τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι. τὸ δὲ δρᾶμα τῶν πρώτων.

veluti OC. 92 *κέρδη μὲν οἰκήσαντα: ὁ ποιητὴς χαριζόμενος τοῖς Ἀθηναίοις τοῦτο φησίν. ἐδόκουν γὰρ τότε Βοιωτοὶ καὶ Ἀθηναῖοι πρὸς ἀλλήλους διαφέρεσθαι.* plura vide infra.

Aristophanes etiam in notandis chori personis normam videtur praescripsisse scholiastis, qua de his observationes instituerent. apparet enim tam constans haec ac fixa, ubiubi scholiorum de chori personis a poeta adhibitis disputatur, ut ab uno eodemque auctore omnes istas observationes oriundas esse non possis non censere. tria potissimum sunt, quae a perfecto choro postulantur. primum chori personae, quippe quae semper eum tueantur, qui iustum se praestet hominem (*ἀεὶ ὁ χορὸς παρρησιαζόμενος τοῦ δικαίου προίσταται*), ita debent esse electae, ut libere sententiam suam profiteri possint (*δεῖ τὸν χορὸν παρρησιάζεσθαι*). tum chorus vinculo quodam sive communis patriae sive necessitudinis cum primaria fabulae persona coniunctus esse debet, ita ut miseriis eius doloribusque et ipse affligatur (*συμπαθῶς ἔχειν δεῖ τὸν χορόν*). denique modeste ubique debet loqui chorus, neque fines egredi verecundiae, quae erga nobiliores fabulae personas ei servanda sit (*αἰδημόνως δεῖ λαλεῖν τὸν χορόν*). haec tria postulata modo coniuncta in scholiis inveniuntur, modo unum ex iis alterumve. quodsi iam constans haec norma optime Aristophanis observandi rationi respondet, omnis dubitatio, quin notae hae Aristophaneis praeceptis originem debeant, eo tollitur, quod in tribus argumentis eius quamvis mutilis et decurtatis unius certe ex illis postulatis vestigia apparent, secundi scilicet, in arg. Hec. *ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν αἰχμαλωτίδων Τρῳάδων, συμπαθησουσῶν τῇ Ἑκάβῃ*, Alc. *συνέστηκε δὲ ὁ χορὸς ἔκ τινων πρεσβυτῶν ἐντοπίων, οἳ καὶ παραγίνονται συμπαθήσοντες ταῖς Ἀλκήστιδος συμφοραῖς*, Or. *ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν Ἀργείων ἡλικιωτίδων Ἠλέκτρας, αἳ καὶ παραγίνονται ὑπὲρ τῆς τοῦ Ὀρέστου πυνθανόμεναι συμφορᾶς*. interdum vel eadem verba reperiuntur in scholiis, quae ego ita recensui, ut primo loco ponerem ea, ubi de

tribus illis postulatis in universum expositum est, deinde ea adiungerem, quae unum alterumve continent. numero plurima sunt, quae ad modestiam et verecundiam choro servandam spectant. pro specimine duo hic afferam scholia, amplius alterum, alterum brevius.

Ai. 134 *Τελαμώνιε παῖ*: *πιθανῶς αὐτῷ ὁ χορὸς ἐσκεύασται ἀπὸ Σαλαμινίων ἀνδρῶν, τοῦτο μὲν παρρησιαζομένων ὡς ἐλευθέρων, τοῦτο δὲ συμπαθῶς ἐχόντων ὡς πολιτῶν, καὶ αἰδημόνως λαλούντων ὡς ὑπηκόων. οὐ γὰρ πιθανὸν ἐξ Ἀχαιῶν εἰσάγειν καὶ διὰ τὸ [μὴ] συνάχθεσθαι καὶ διὰ τὸ μὴ προσκρούειν τῷ βασιλεῖ. τὸ δὲ τῶν αἰχμαλώτων κηδεμονικὸν μέν, ὡς Αἰσχύλος ἐν Θρῄσσαις, οὐ μὴν εὐπρόσωπον· ὅρα γὰρ οἷον ⟨ἦν⟩ αἰχμαλώτους ἐπιτιμᾶν τῷ Μενελάῳ.*

El. 199 *εἶτ' οὖν θεός*: *πάνυ αἰδημόνως ὁ χορὸς τὸ μὲν πρᾶγμα λέγει, τοὺς δὲ πράξαντας οὐκ ἐλέγχει.*

Ad concludendam hanc de vestigiis Aristophaneae disciplinae, quae in scholiis appareant, commentationem, paucas observationes enumerabo, quae ad singulas quasdam singularum fabularum res pertinent. acutum severumque de Phoenissis iudicium in argumentorum colluvie servatum supra p. 28 Aristophani vindicavi. quae eo vituperantur scaenae eaedem in scholiis notantur, neque reliqua Phoenissarum argumenta nulla habent cum eo communia. liceat ea uno oculorum obtutu percurrere.

arg. Phoen. *τὸ δρᾶμά ἐστι μὲν ταῖς σκηνικαῖς ὄψεσι καλόν * * * * δὲ καὶ * * * παραπληρωματικόν· ἥ τε ἀπὸ τῶν τειχέων Ἀντιγόνη θεωροῦσα μέρος οὐκ ἔστι δράματος, καὶ ὑπόσπονδος Πολυνείκης οὐδενὸς ἕνεκα παραγίνεται, ὅ τε ἐπὶ πᾶσι μετ' ᾠδῆς ἀδολέσχου φυγαδευόμενος Οἰδίπους προσέρραπται διὰ κενῆς.*

schol. Phoen. 88 *Ὁμηρικῷ ζήλῳ ἀνάγει Εὐριπίδης Ἀντιγόνην ἰδεῖν τὸ στράτευμα, ὥσπερ ἐκεῖνος Ἑλένην ἐποίησε, πλὴν ὅσον ἐκείνη μὲν τῷ Πριάμῳ δεικνύει τὰ τοῦ στρατεύματος, Ἀντιγόνῃ δὲ ὁ παιδαγωγὸς διηγεῖται*[49].

49 Haec Thomae Magistri sunt a Dindorfio litteris Gu signata

ib. — ἡ δὲ ἔξοδος τῆς παρθένου εἰκών ἐστι τῆς Ὁμηρικῆς τειχοσκοπίας τῆς Ἑλένης ἐκ τοῦ ἐναντίου, ἐκεῖ [50] γὰρ γυνὴ τῷ γέροντι δείκνυσιν.

ib. 171 τὸν Ὁμηρικὸν Μενέλαον μιμεῖται ὁ Εὐριπίδης, ὑπόσπονδον Πολυνείκην ἄγων εἰς τὰς Θήβας, ὡς ἐκεῖνος εἰς τὴν Ἴλιον εἰσῆλθε καταθησόμενος τὸν πόλεμον.

ib. 1019 ἔβας ἔβας: πρὸς οὐδὲν ταῦτα· ἔδει γὰρ τὸν χορὸν οἰκτίσασθαι τὸν θάνατον τοῦ Μενοικέως ἢ ἀποδέχεσθαι τὴν εὐψυχίαν τοῦ νεανίσκου. ἀλλὰ τὰ περὶ Οἰδίπου καὶ τῆς Σφιγγὸς διηγεῖται τὰ πολλάκις εἰρημένα.

De canticis chori Euripideis, quae nullum cum ipsa fabula habeant nexum, haud absona ab ultimo scholio monet scholiasta Arist. Acharn. 443, quem iam semel cum Aristophanis iudiciis consentientem vidimus, τοὺς δ' αὖ χορευτάς: καὶ διὰ τούτων τὸν Εὐριπίδην διασύρει. οὗτος γὰρ εἰσάγει τοὺς χοροὺς οὔτε τὰ ἀκόλουθα φθεγγομένους τῇ ὑποθέσει, ἀλλ' ἱστορίας τινὰς ἀπαγγέλλοντας, ὡς ἐν ταῖς Φοινίσσαις, οὔτε ἐμπαθῶς ἀντιλαμβανομένους τῶν ἀδικηθέντων (haec prorsus eadem sunt atque duo illa, de quibus p. 42 dixi, postulata ὁ χορὸς τοῦ δικαίου προίσταται et συμπαθῶς ἔχειν δεῖ τὸν χορόν), ἀλλὰ μεταξὺ ἀντιπίπτοντας. cum hac de ἐμβολίμοις Euripideis observatione cohaerent, quae in scholiis Aeschyli Sophoclisque de indole canticorum ab his poetis fabulis insertorum disputantur, quae et unicuique scaenae proprie sint accomodata (τὰ ἀκόλουθα φθέγγεσθαι) et pro variis chori personis variata. ea infra coniuncta edidi.

Aristophanis de Phoenissis prolatae sententiae fere contrariam profitetur scriptor tertii apud Dindorfium argumenti:

---

v. p. 38 not. 45. opportune in antiquis codicibus annotatio servata est, quam excripsit Thomas, quamque in textu exhibui. cetera scholia quae attuli veteris sunt grammatici.

50 Haec inter Homericam Euripideamque τειχοσκοπίαν facta comparatio in eandem classem releganda est cum Aristophaneis quas p. 33 sq. collegi.

περιπαθῶς ἄγαν αἱ Φοίνισσαι τῇ τραγῳδίᾳ. ἀπώλετο γὰρ ὁ Κρέοντος υἱὸς ἀπὸ τοῦ τείχους ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀποθανών. ἀπέθανον δὲ καὶ οἱ δύο ἀδελφοὶ ὑπ' ἀλλήλων, καὶ Ἰοκάστη, ἡ μήτηρ, ἑαυτὴν ἀνεῖλεν ἐπὶ τοῖς παισί. καὶ οἱ ἐπὶ Θήβας στρατευσάμενοι Ἀργεῖοι ἀπώλοντο· καὶ ἄταφος Πολυνείκης πρόκειται. καὶ ὁ Οἰδίπους τῆς πατρίδος ἐκβάλλεται, καὶ σὺν αὐτῷ ἡ θυγάτηρ Ἀντιγόνη. ἔστι δὲ τὸ δρᾶμα καὶ πολυπρόσωπον καὶ γνωμῶν μεστὸν πολλῶν τε καὶ καλῶν.

Haec mihi recentioris grammatici videntur esse, quem defensorem Euripides dixi. ut supra Aristophanis Andromacham vituperantis sententiam eo refutare conatus est, ut tragicas fabulae partes enumeraret, ita in hoc argumento Phoenissarum, cuius Aristophanes nonnullas scaenas damnavit, studiose locos *περιπαθεῖς* conquirit, eodem fato a rei cardine aberrans quo antea. quod idem Aristophanis *παραπληρωματικόν* mutavit in *πολυπρόσωπον καὶ γνωμῶν μεστὸν πολλῶν τε καὶ καλῶν* parum probatur alteri scholiastae, qui scripsit ad v. 388 *οὐκ ἐν δέοντι δὲ γνωμολογεῖ, τοιούτων κακῶν περιεστώτων τῇ πόλει. τοιοῦτος δὲ πολλαχοῦ ὁ Εὐριπίδης.* Thomas Magister promiscue ex copiis recentioris grammatici et Aristophanis suo argumento infulsit haec: *ἔστι δὲ τὸ παρὸν δρᾶμα τῶν ἄγαν ἐξαιρέτων, διανοίαις καὶ γνώμαις πολλαῖς καὶ καλαῖς καὶ ποικίλαις ἀνθοῦν καὶ μεταχειρίσει ἀρίστῃ, καὶ διὰ πάντων ἀκμάζον, εἰ καὶ ἀπίθανον ἔχει τὴν εἰς Θήβας Πολυνείκους εἴσοδον.*

Finem faciat argumentum Agamemnonis, ubi de Casandra vaticinante et de morte eius Agamemnonisque haec leguntur XIV F *τοῦτο δὲ τὸ μέρος τοῦ δράματος θαυμάζεται ὡς ἔκπληξιν ἔχον καὶ οἶκτον ἱκανόν. ἰδίως δὲ Αἰσχύλος τὸν Ἀγαμέμνονα ὑπὸ σκηνῆς ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ, τὸν δὲ Κασάνδρας σιωπήσας θάνατον νέκραν αὐτὴν ὑπέδειξεν.* de Agamemnonis morte spectatores certiores fiunt exclamationibus, quas ille post scaenam edit. hoc *ἰδίως* instituit Aeschylus, cum longe usitatissimum esset tragicis, mortem

per nuntium aliquem enarrare, nam omnino omnia spectatorum oculis subtrahunt, quae visu vel nimis horribilia sint vel obscoena. de hac re compluribus locis observarunt scholiastae veluti ad Eur. Hec. 484 *κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐσφάγη ἡ Πολυξένη. ἔθος γὰρ τοῖς τραγικοῖς τὸ μὴ ἐπ' ὄψει τῶν θεατῶν ἀναιρεῖν. ἠνιάθησαν γὰρ ἂν ὁρῶντες τοιαύτην θέαν.* cfr. scholl. El. 1384. 1495.

Admodum similis est scaenae, quam in Agamemnone notavit Aristophanes vel qui eius copiis usus est, in Electra ea, ubi Clytaemnestra ab Oreste interficitur, et idem artificium poetae, quod simplicissime significatur in argumento, amplioris annotationis facultatem dedit scholiastae ad v. 1404 *ἔθος ἔχουσι τὰ γεγονότα ἔνδον ἀπαγγέλλειν τοῖς ἔξω οἱ ἄγγελοι, νῦν δὲ διὰ τὸ μὴ διατρίβειν ἐν τῷ δράματι οὐκ ἐποίησεν. τούτῳ*[51] *γὰρ προκείμενον τὸ κατὰ τὴν Ἠλέκτραν ἐστὶ πάθος. νῦν τοίνυν βοώσης ἐν τῇ ἀναιρέσει τῆς Κλυταιμνήστρας ἀκούει ὁ θεατὴς καὶ ἐνεργέστερον τὸ πρᾶγμα γίνεται ἢ δι' ἀγγέλου σημαινόμενον. καὶ τὸ φορτικὸν τῆς ὄψεως ἄπεστι* ⟨*ἀπέστη* LG, *ἄπεστι* Vsenerus⟩, *τὸ δὲ ἐναργὲς οὐδὲν ἧσσον καὶ διὰ τῆς βοῆς ἐπραγματεύσατο.* omnibus huiusmodi observationibus pro fundamento est notum illud Aristotelis praeceptum AP. 14 p. 1453^b 1: *ἔστι μὲν οὖν τὸ φοβερὸν καὶ ἐλεεινὸν ἐκ τῆς ὄψεως γίνεσθαι, ἔστι δὲ καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συστάσεως τῶν πραγμάτων, ὅπερ ἐστὶ πρότερον καὶ ποιητοῦ ἀμείνονος. δεῖ γὰρ καὶ ἄνευ τοῦ ὁρᾶν*

51 *Τοῦτο γάρ* LG, quod Brunckius et Ed. R. male sic dividunt *οὐκ ἐποίησεν τοῦτο. προκείμενον γάρ κτλ.* sententia scholii perspicua. hoc enuntiato causa continetur, cur Sophocles Clytaemnestrae mortem non per nuntium enarraverit. quod ut clarius reddam pro *τοῦτο*, quod fortasse ferri potest, *τούτῳ* scripsi, scil. *τῷ δράματι.* 'ne mora inferretur dramati, nuntium qui mortem Clytaemnestrae accurate exponeret non adhibuit poeta. nam non in Clytaemnestrae sed in Electrae miseriis repraesentandis versatur finis fabulae'. hoc *πρόσωπον περιπαθές* vocatur in schol. OT. 1073 *ἐννοουμένη τὰ τῆς ἀναιρέσεως αὐτὴ μὲν ἀπήλλακται, ὁ δὲ Οἰδίπους περιλέλειπται. τὸ γὰρ αὐτοῦ πρόσωπόν ἐστι τὸ περιπαθές, περὶ ὃ πᾶσα ἡ διάθεσις τοῦ δράματος.*

οὕτω συνεστάναι τὸν μῦθον ὥστε τὸν ἀκούοντα τὰ πράγματα γινόμενα καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων· ἅπερ ἂν πάθοι τις ἀκούων τὸν τοῦ Οἰδίποδος μῦθον. τὸ δὲ διὰ τῆς ὄψεως τοῦτο παρασκευάζειν ἀτεχνότερον καὶ χορηγίας δεόμενόν ἐστι. unde sua sumpsit Horatius AP. 179 sqq. huius praecepti memores grammaticos Aiacis quoque locum celeberrimum, ubi heros ante oculos spectatorum gladio se perfodit, in disceptationem vocasse, non mirum est, quippe qui tam aperte traditae regulae officeret. at de hoc scholio infra, cum iam sufficiant exempla ad docendum, scholiastas in his quoque rebus non diversas ab Aristophane vias in explicanda poetarum arte esse ingressos.

Sic Aristophanis disciplinae vestigia persecuti sumus per vastam scholiorum nostrorum farraginem, non rara pro reliquiarum Aristophanearum exilitate. vidimus eius observationes integras vel paene integras in scholia receptas, repperimus eas quaestiones, quas ille moverat, in scholiis amplius tractatas disputatasque, Aristophanis explicandi rationem vel ibi cognovimus, ubi non unius eiusdemque fabulae essent, quae in scholiis et quae in argumentis exponerentur. et in hac re id semper tenendum est, hoc genus observationum, ut fere nullum aliud, in scholiis rarum esse et infrequens. ad fontem nos relegari satis antiquum, unde derivatae sint hae observationes, iam ex varia earum in variis scholiis frequentia vel paucitate, quam initio commentationis paucis adumbravi, concludendum erat. quo antiquiora et meliora scholia, eo frequentiores notae, quibus ars poetae explicatur. quae larga nobis dicenda est ubertas earum in veteribus in Sophoclem scholiis (de Aeschyleis ad vilem tenuitatem redactis non mirandum, si parum fructus nobis praebent) in Euripideis, quae obruta quidem verbosis Graeculorum hominum ineptiis reconditioris tamen doctrinae non omnibus exuta sunt copiis, tristi pauperie expulsa est, donec in Byzantinorum explanationibus, ut consentaneum est magistellis,

qui in tragoediis non artem tragicam sed linguae Graecae rudimenta doceant, unumquodque fere pristinae disciplinae vestigium extinctum est. antiquum illum fontem Aristophanis fuisse a r g u m e n t a hucusque studui probare. quid scholiastae ex aliis Aristophanis operibus hauserint, nescimus nec scire possumus. nam quod in hac quaestione maximi esset momenti, Aristophanem commentarios composuisse etiam in Aeschylum Sophoclemque, hoc certis argumentis demonstrari nequit, et inutilem omnino duco de hac re disceptationem, quam institutam video inter viros doctos, cum in sententiis opinionibus coniecturis subsistendum sit. neque in scholiis illis Aristophanis nomen[52] commemoratur, neque aliunde notitia ad nos pervenit, eum in hos poetarum principes *ὑπομνήματα* scripsisse[53]. ut quod equidem sentio dicam, mihi valde improbabile videtur, cum grammaticum, cuius argumenta vel hodie omnes fere trium tragicorum fabulae in fronte gerunt, cuius disciplinae tot extant in scholiis vestigia, quem curam impendisse Homero Hesiodo Anacreonti Pindaro Euripidi Aristophani constat, quasi studiose et certo quodam consilio, quod nos saltem capere nequimus, Aeschylum Sophoclemque in medio reliquisse. at utut hoc est, equidem acquiescere possum in iis, quae reliquiis examinatis inveni eo magis, cum ad documenta, quibus nisus confidenter Aristophanem Byzantium observationum ad artem poeticam spectantium auctorem dicere potui, unum accedat, quod omnem, si qua relicta fuerit, dubitationem tollat: apparet in scholiis Euripideis Aristophanis nomen notae appositum, quae non solum eiusdem est generis ac modo tractatae, sed qua edocemur etiam, non exhaustas esse ob-

52 In schol. Aiac. 746 *εἰς παροιμίαν ὁ στίχος παρῆκται, ἣν καὶ Ἀριστοφάνης ἀναγράφει* Aristophanis *παροιμίαι* dicuntur. e Photio Suida s. v. *μασχαλίσματα· Ἀριστοφάνης παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Ἠλέκτρᾳ κεῖσθαι τὴν λέξιν ἔθος σημαίνουσαν* nihil colligendum.

53 Eandem fortunae iniquitatem expertae sunt eius hypotheses, quarum nulla fit mentio in veterum scriptis.

servationibus ex argumentis nobis notis res, ad quas animum attenderet ille in explicanda aestimandaque poetarum tragicorum arte.

Ad Euripidis Hippolyti v. 172 haec annotat scholiasta: *τήνδε κομίζουσ᾽: τοῦτο σεσημείωται τῷ Ἀριστοφάνει, ὅτι καίτοι τῷ ἐκκυκλήματι χρώμενος τὸ ἐκκομίζουσα προσέθηκε περισσῶς.* alter scholiasta eandem Aristophanis notam sic interpretatur: *τοῦτο σεσημείωκεν Ἀριστοφάνης, ὅτι κατὰ τὸ ἀκριβὲς τὸ ἔγκλημα τοιοῦτόν ἐστι τῇ ὑποθέσει. ἐπὶ γὰρ τῆς σκηνῆς δείκνυται τὰ ἔνδον πραττόμενα, ὁ δὲ ἔξω προϊοῦσαν αὐτὴν ὑποτίθεται.* posterioris scholii verba ut nunc leguntur, nisi medela adhibita intellegi nequeunt. scaena Hippolyti ea est, ubi aegrotans Phaedra lecto imposita a nutrice ex aedibus educitur. prioris scholii sensus perspicuus est. notavit Aristophanes chori versus 170 sq.:

ἀλλ᾽ ἥδε τροφὸς γεραιὰ πρὸ θυρῶν
τήνδε κομίζουσ᾽ ἔξω μελάθρων,

quod eccyclemate usus poeta abundanter (*περισσῶς*) addidisset, educi a nutrice Phaedram. qui novissimus de hoc scholio disputavit Schraderus in commentatione iam laudata *de notatione critica* etc. p. 47 hanc protulit loci explicationem: *vituperavit* (scil. Aristophanes) *Euripidem, quod h. l. eccyclemate non ea ratione usus est, ut aliquid quod in interiore parte aedium fit spectatoribus monstraret, sed aliquem in scaenam egredientem eo induceret, etsi machina minime opus, ita ut κομίζουσα v. 172 collatum cum v. 180 sq. δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν πᾶν ἔπος ἦν σοι· τάχα δ᾽ εἰς θαλάμους σπεύσεις τὸ πάλιν sane adiectum videatur περισσῶς.* si quid video Schraderus statuit, inter se pugnare vocabula *κομίζουσα* et *ἐλθεῖν* et *σπεύσεις*, non opus esse machina, non opus esse, ut ex aedibus portetur Phaedra, quippe quae exierit (*δεῦρο γὰρ ἐλθεῖν*). at non egressam esse Phaedram, sed lecto impositam ex aedibus eductam testantur nutricis verba v. 179 *ἔξω δὲ δόμων ἤδη νοσερᾶς δέμνια κοίτας* et Phaedrae ipsius oratio, quae v. 198 incipit a verbis *αἴρετέ μου δέμας, ὀρθοῦτε κάρα.* quare

ut omnia fere vincula revellit vetustate consecrata, ita neque in hac re traditis normis se astrinxit, neque meliores in tritarum loco reposuit. notum est, ob eandem rem Euripidem iam ab Aristophane comico in Acharnensibus carpi, propter quam Aristophanes grammaticus signum suum versui illi Hippolyti apposuit, tertium exemplum mirae inter hos viros iudicii aequalitatis. Dicaeopolis fores pulsans petit ab Euripide, ut egrediatur. *ἀλλ' οὐ σχολή* respondit hic. ad quod Dicaeopolis *ἀλλ' ἐκκυκλήθητ'*. Eur. *ἀλλ' ἀδύνατον*. Dic. *ἀλλ' ὅμως*. Eur. *ἀλλ' ἐκκυκλήσομαι· καταβαίνειν δ' οὐ σχολή*. facetissime Aristophanes hic eccyclema ut machinam inducit, qua qui utatur tempori parcat descendendi. neque ulli obnoxium est dubitationi, quin Euripides spectetur, qui eccyclema adhibeat, ubi prorsus non sit necessarium. et altiorem etiam quam obiter legenti videtur causam fuisse, cur Byzantius versum illum Hippolyti notaret, ex altera nota illi plane gemella patet. in Alcestide Euripidea Alcestis moribunda una cum marito in scaenam *ἐκκυκλεῖται*. conspicitur igitur interior aedium pars. nihilominus Euripides chorum facit loquentem (v. 234) *ἰδοὺ ἰδού, ἥδ' ἐκ δόμων δὴ καὶ πόσις πορεύεται*. ad quae scholiasta: *οὐκ εὖ· κατὰ γὰρ τὴν ὑπόθεσιν ὡς ἔσω πραττόμενα δεῖ ταῦτα θεωρεῖσθαι*, ubi Aristophanem nemo non subodoratur. chori verbis id ipsum tollitur, quod eccyclemate adhibito efficere vult poeta. evolvitur re vera *ξύλινον* illud *μηχάνημα τροχοὺς ἔχον* at non eo consilio, ut quae personae evolvuntur eae ex aedibus videantur egredi, sed ut interior aedium pars spectatorum oculis pateat. non relinquit, quae vix spiritum ducit, Alcestis domum, ut Phaedra, quae variis animi perturbationibus sollicitata et excruciata anxium pectus sub divo exonerari putat, sed tranquillo animo voluntariam mortem expectat. quare 'non bene instituit Euripides rem ita, ut chorum faceret dicentem, e g r e d i Alcestidem cum marito, nam secundum fabulae argumentum ut intus acta haec conspici debent'. ita scholion intellegendum est. falluntur Cobetus et qui eum

sequitur Fritzschius in libello *quatuor leges scenicae Graec. poeseos ab Horatio in AP. latae*, ante δεῖ ταῦτα θεωρεῖσθαι οὐ particulam inserentes, cum capi nequeat cur non debeant conspici, quae intus agantur. iam si cursum retro flectimus ad primum scholion, ubi περισσῶς adiectum dicebatur τὸ ἐκκομίζουσα, puto Aristophanem praeter pravum omnino eccyclematis usum id etiam vituperasse, quod chorus pariter atque in Alcestide indicaret, educi ex aedibus Phaedram. nam cum semel eccyclema adhiberetur, id indicari necessarium sane non erat.

Quodsi demonstrare hucusque studui, Aristophanem Byzantium auctorem esse earum observationum, quae ad artem poetarum illustrandam pertinentes in scholiis nostris leguntur, hoc non ita intellegi velim, quasi ipsa grammatici celeberrimi verba in scholiis extent aut ubique eius notae fuerint appictae, sed id tantum contendo, Aristophanem primum fuisse, qui ad illustrandam artem in fabularum compositione conspicuam animum adverteret et suis iudiciis observationibusque normam praeberet, quam sequioris aevi grammatici, quorum unum mox cognoscemus, sequerentur. quod ut demonstrarem si mihi contigit, non novam rem detexi mea demonstratione. nam cognitam eam habuit et iam pridem edixit Carolus Lachmannus in Mus. Rhen. vol. I p. 317 *den beweis* (Oedipum scilicet non sua culpa sed deorum voluntate miserum factum esse) *findet ein ausleger in den scholien zu v. 960 überzeugend, — vermuthlich Aristophanes von Byzanz, von dem meistens die anmerkungen über die kunst des dichters herrühren. so steht sein name bei Hippol. 170 und eine ganz gleiche bemerkung bei Alcest. 238.* cuius coniecturae cum sublesta haberetur fides a Nauckio l. l. p. 68 et Schneidewino l. l. p. 4, ego accuratiore, quam adhuc factum est, commentatione certioribusque argumentis eam stabilire et firmare conatus sum.

II

Postquam supra exposui, Aristophanis Byzantii disciplinam non ipsa verba in scholiis deprehendi, quae ad artem poetarum tragicorum aestimandam spectent, iam ultro se offert quaestio, quis fuerit ex veteribus fabularum interpretibus, cui nos memoriam debemus disciplinae Aristophaneae, vel quis in hac fabulas explicandi via Aristophanis vestigia presserit. ad hanc quaestionem solvendam necesse est conquiramus ex scholiis eas observationes, quae certo cuidam auctori sive ascriptae sive certis de causis ascribendae Aristophaneae disciplinae prae se ferant colorem.

Exordium sumamus a scholio ad Eur. Phoen. v. 751 *διατριβή: πεφύλακται τὰς ὀνομασίας αὐτῶν εἰπεῖν, ὥς φησι Δίδυμος, διὰ τὸ ὑπὸ Αἰσχύλου εἰρῆσθαι ἐν τοῖς Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. ἢ ἐπειδὴ μὴ καλὸν ἦν ἑκάστου καταλέγειν τὸ ὄνομα τοῦ πολέμου ἐπείγοντος*[56]. ex Didymeis illis *πεφύ-*

56 Posterius argumentum desumtum est ex ipsis quae hodie feruntur Euripidis verbis:

ὄνομα δ' ἑκάστου διατριβὴ πολλὴ λέγειν
ἐχθρῶν ὑπ' αὐτοῖς τείχεσιν καθημένων.

num hi versus ex scholiastae nota originem duxerint, nescio, id scio, deletis iis et tertio, propter sententiae ieiunitatem et verbum *καταργῶμεν* suspecto, maiore cum vi meliusque totam orationem sic procedere:

748 *ἔσται τάδ'· ἐλθὼν δ' ἑπτάπυργον ἐς πόλιν*
749 *τάξω λοχαγοὺς πρὸς πύλαισιν, ὡς λέγεις.*
750 *ἴσους ἴσοισι πολεμίοισι ἀντιθείς.*
754 *καί μοι γένοιτ' ἀδελφὸν ἀντήρη λαβεῖν*
755 *καὶ ξυσταθέντα διὰ μάχης ἑλεῖν δορί.*

λακται τὰς ὀνομασίας αὐτῶν εἰπεῖν certo cognoscitur scriptor scholii Soph. Electr. 62 εἰς τοῦτο οὖν ἔοικεν ἀποτείνεσθαι ὁ Σοφοκλῆς. ἔνιοι δὲ οἴονται ἀπιθάνως, εἰς Ὀδυσσέα ἀποτείνεσθαι, οὕπως[57] γὰρ πέπρακταί τι τοιοῦτον Ὀδυσσεῖ. ἐφυλάξατο δὲ ὀνομάσαι τὸν ἄνδρα, μή τῳ[58] θαυμαστὸν εἶναι δόξῃ, ὡς ἐν τραγῳδίᾳ καὶ μύθῳ παλαιῷ τετόλμηκε[59] τι κακόηθες εἰπεῖν καὶ προσκρουστικὸν εἰς τοὺς καθ' ἑαυτόν, ὃ μᾶλλον ἥρμοζε κωμῳδίᾳ. videmus igitur Didymum, ad quem potissimum scholia nostra in Sophoclem Euripidemque referenda esse iam pridem intellexerunt viri docti[60], etiam arti poetarum tragicorum explicandae operam dedisse. ad intellegendum scholion de loco, quem spectat, Electrae hoc monendum est. ut arceat quasi religionem, cui obnoxium videatur consilium morte simulata vindictam sumendi de Clytaemnestra Aegisthoque, Orestes sapientes quosdam commemorat, qui pari simulatione magnam sibi comparaverint gloriam. quinam essent sapientes illi, iam antiquitus ambigebatur. hoc optime sensit Didymus, Orestis verba non potuisse intellegi, nisi ad personam spectarent omnibus qui aderant notam. cuius nomen silentio praetermittere iam eo cogebatur poeta, ne tam manifesto in omnes temporum rationes peccaret Orestemque

57 Οὕπως Otto Iahnius Electr. p. 28 οὕτως L.

58 Καὶ μὴ τῶν θαυμαστῶν L, quod correxit Wolffius in libro *de scholl. Laur. auctoritate* p. 16 καὶ μή τῳ θαυμαστόν. equidem deleta particula καί sequentia verba ita prioribus adiunxi, ut causam continerent, cur Sophocles nomina non addidisset. priores editores omnes separata a ceteris exhibent verba ἐφυλάξατο δὲ ὀνομάσαι τὸν ἄνδρα.

59 Ὡς — τετόλμηκε cod. Vind. 281, cuius potiores scripturas Heimsoethii comitati debeo. τετολμηκ. τι L τετολμηκότι H τετολμηκέναι F.

60 Cfr. Wolfii commentationem l. l. p. 12 sqq. et Mauricii Schmidtii librum *Didymi Chalcenteri fragmenta* p. 261 sqq. de Didymi studiis Aeschyleis non certius est iudicium quam de Aristophanis, cum nomen eius in scholiis nostris non appareat. tamen aliis de causis, quas exposuit Gustavus Frey in dissertatione *de Aeschyli scholiis Mediceis* conscripta, admodum probabile est, in Aeschylum quoque commentarios scripsisse Didymum.

novissimarum rerum, quae Athenis circumferebantur, scientem faceret[61]; *ὃ μᾶλλον ἥρμοζε κωμῳδίᾳ* iudicat Didymus et consentit his verbis optime cum Aristophanis observandi ratione, quem de comico tragoediarum exitu singulisque scaenis a tragica severitate alienis disputasse supra vidimus.

Didymum artis poeticae aestimatorem etiam in altero notarum genere deprehendimus cum universis Aristophanis iudiciis mire consentientem, earum scilicet, quibus Euripidem carpit. quam constanter uterque in hoc critici munere explendo versatus sit, notatu est dignissimum, quippe cum omnibus fere temporibus incredibilis dramatum Euripideorum admiratio, cuius hodie etiam supersunt vestigia, apud grammaticos obtinuerit. pauca quae habemus iudicia Aristophanem testantur artis Euripideae minime amatorem, et in omnibus fere scholiis, quae diserte auctorem suum produnt, Didymus fortiter, haud raro inique vellicat Euripidem. en iudice Didymo peccatorum Euripidis indiculum:

schol. Andr. 885 *ὄνομα δ' Ὀρέστης: ἐκβληθεὶς τοῦ Ἄργους Ὀρέστης ἀπῄει εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τὸ ἐν Δωδώνῃ μαντευσόμενος, ποίαν οἰκήσει πόλιν. ἀπιὼν οὖν ἔρχεται εἰς*

---

61 Versus hi sunt:

ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
λόγῳ μάτην θνήσκοντας· εἶθ' ὅταν δόμους
ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον·
ὡς κἄμ' ἐπαυχῶ τῆσδε τῆς φήμης ἄπο
δεδορκότ' ἐχθροῖς ἄστρον ὣς λάμψειν ἔτι.

eos Otto Iahnius in lectionibus, quas de Sophoclis Electra habet, his de causis Sophocli abiudicat: versus illi nullum habent nexum neque cum iis qui praecedunt, neque cum iis qui sequuntur; quare intellegi nequeunt, nisi personae iis significentur nemini spectatorum ignotae. non putandus est Sophocles ipse tragicam Orestis sublimitatem adeo imminuisse, ut eum novissimarum narratiuncularum scientem induceret. itaque versus histrioni tribuendi sunt, qui commemoratis notissimis conclamatissimisque personis multitudinis plausus captaverit. iidem versus nunc etiam a Morstadtio damnantur *beitraege zur exegese und kritik der Sophocl. tragoedien* p. 8.

τὴν Φθίαν. *Δίδυμος* δέ φησι ψευδῆ ταῦτα εἶναι καὶ ἄπιστα. cfr. schol. Andr. 1241 Δελφοῖς ὄνειδος: ὅτι μὲν ἐν Δελφοῖς ὁ Νεοπτόλεμος τέθαπται καὶ Φερεκύδης ἱστορεῖ, ὅτι δὲ νεκρὸς ἐλθὼν Φθίαν πάλιν εἰς Δελφοὺς ἐπέμφθη διέψευσται [62].

schol. Andr. 1077 οὐδέν εἰμ', ἀπωλόμην: ἐγκαλεῖ *Δίδυμος* καὶ εὐεπίληπτόν φησι, τὸν αὐτὸν ἐν πάθει ὄντα λέγειν 'οὐδέν εἰμι, φρούδη μὲν αὐδή' παρὰ τὸ Ὁμηρικὸν 'δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβεν'. ἀλλ' ἐκεῖ οὐκ αὐτὸς ὁ πάσχων φησὶν, ἀλλ' ἕτερος περὶ αὐτοῦ. ζῆλον Euripidis Ὁμηρικόν iam supra p. 43 notatum a scholiasta vidimus. cfr. etiam quod infra exhibui schol. Rhes. 210.

schol. Hec. 846 ὁ δὲ *Δίδυμος* οὕτως· μᾶλλον ὤφειλεν εἰπεῖν, ὅτι τοὺς νόμους αἱ ἀνάγκαι διορίζουσιν· αἱ γὰρ ἀνάγκαι καὶ τῶν νόμων ἐπικρατέστεραι, οὐχ οἱ νόμοι τῶν ἀναγκῶν. καὶ νῦν οὖν τοὐναντίον εἶπεν. pius [63] quem hic videmus grammaticus in multis scholiis invenitur, quae infra excripsi. unum hoc loco afferam specimen, quippe quo tecte videatur Euripides carpi, schol. Aiac. 1037 καλῶς τὸ φάναι, πάντα κατὰ γνώμην θεῶν γίνεσθαι· εἰσὶ γάρ *τινες* ἑτεροδοξοῦντες. Euripidis obscoenitas a Sophoclis pudicitia longe remota diserte notatur in schol. Aiac. 520 — αἰδημόνως δὲ αὐτὸν ⟨Aiacem⟩ ὑπομιμνήσκει ⟨Tecmessa⟩ τὰ τῆς εὐνῆς. διὰ ταῦτα γὰρ μάλιστα δοκεῖ αὐτὸν πείθειν. ὁ δέ γε Εὐριπίδης *μαστροπικώτατα* εἰσάγει τὴν Ἑκάβην λέγουσαν ⟨v. 828⟩ 'ποῦ τὰς φίλας δῆτ' εὐφρόνας δείξεις, ἄναξ, ἢ τῶν ἐν εὐνῇ φιλτάτων ἀσπασμάτων', et luculentum Didymi pietatis testimonium praebet schol. Pind. Pyth. I 56 ὀρθιᾶν κνωδάλων· ταῦτά, φησιν ὁ *Δίδυμος*, μετὰ τοῦ γε-

---

62 Socium habet Euripides haud spernendum, cui idem Didymus mendacium exprobrat, Pindarum nimirum in schol. Ol. VI 55 *Δίδυμός* φησιν — ἤτοι οὖν Πίνδαρος ψεύδεται, ἢ κτλ. cfr. schol. Ol. VII 146 ἐψεύσατο δὲ ὁ Πίνδαρος.

63 De Didymi pietate monuit iam Wolffius l. l. p. 19 apud Dind. p. 41.

λοῖον καὶ ἄσεμνά ἐστιν. τίνα γὰρ λόγον ἂν ἔχοι ἥδεσθαι τὸν Ἀπόλλωνα τοῖς ὀρθιάζουσιν ὄνοις;

Clarissime apparet Aristophanem inter et Didymum iudiciorum consensus, ubi examinant, num apta sint personarum moribus ingeniisque, quae agant dicantve. de Hermionae Euripideae oratione iudicaverat Aristophanes *ἐν τῷ δευτέρῳ μέρει ῥῆσις Ἑρμιόνης τὸ βασιλικὸν ὑφαιροῦσα*, et ut ille reginae nimis humilem timidamque orationem vituperat, ita Didymus captivae Andromachae nimis fortem sublimemque schol. Eur. Andr. 329 *Δίδυμος μέμφεται τούτοις ὡς παρὰ τὰ πρόσωπα· σεμνότεροι γὰρ οἱ λόγοι ἢ κατὰ βάρβαρον γυναῖκα καὶ δυστυχοῦσαν.* confer praeterea schol. Andr. 362 *Δίδυμος μέμφεται πᾶσι τούτοις ὡς παρὰ καιρὸν καὶ τὰ πρόσωπα.* et ib. 229 *παρὰ τὰ πρόσωπα δὲ καὶ τοὺς καιροὺς ταῦτα· πῶς γὰρ οὐκ ἔμελλεν εἰς ὀργὴν καταστῆσαι τὴν Ἑρμιόνην κατὰ τῆς μητρὸς δυσφημοῦσα.*

Perlustratis scholiis pro nostrarum reliquiarum exilitate non paucis, quae a Didymo oriunda luculenter docent, hunc grammaticum in commentariis suis sedulo operam navasse arti a poetis tragicis adhibitae intellegendae et explicandae, perspecto etiam consensu, qui inter eius et Aristophanis observandi iudicandique rationem intercedit, hoc puto summa cum probabilitate (in qua semper fere in huiusmodi quaestionibus acquiescendum est) posse contendi, per Didymum nobis tradita esse, quae in scholiis nostris Aristophaneae disciplinae in arte poetica aestimanda positae prae se ferant colorem.

Qua ratione Didymus copiis Aristophanis usus sit, utrum explicaverit tantum eius notas signaque vel probaverit additis causis, quae breviter hic et concise monuit, an de suo quid adiecerit vel denique prorsus novas ingressus sit vias, certo hodie erui nequit, sed probabili tantum coniectura poni. ex tota Didymi quam aliunde cognitam habemus commentandi ratione ingentique librorum quos composuit multitudine longe veri-

similius est, non tam ex propriorum studiorum fructibus quam ex uberrimis et inexhaustis veterum interpretum Alexandrinorum copiis thesaurisque poeseos Graecae monumenta eum illustrasse. eiusmodi fuisse operam, quam scriptoribus explicandis ille daret, in aliis rebus iam dudum viris doctis persuasum est. quodsi in mea causa idem sumere licet, ita fere definienda erit Didymi opera. plerisque locis, ubi in scholiis Didymum deprehendimus artis poeticae aestimatorem, Aristophanis vel signum vel observationem ut notae Didymeae fundamentum debemus agnoscere. huic fundamento suam superstruxit disputationem Didymus explicans, quae notaverat Aristophanes, exempla afferens, quae notam illustrarent, addens quae ipse sentiret. quam hac ratione sibi finxerat observandi normam, eam iis quoque locis adhibuit; quibus nullum signum Aristophanes apposuerat nec potuit apponere, veluti ubi Didymi observatio alterius demum critici animadversione provocata est. at semper exemplo ei fuerunt Aristophanis observationes neque ullus extat locus, ubi ab eius doctrina decesserit. tam late patuisse Aristophanis disciplinam non est cur negemus. quid enim? unum scholion illud Euripideum, ubi nomen Aristophanis servatum est, nobis qui ex argumentis imaginem refingere conati eramus studiorum, quae in arte examinanda poneret ille, prorsus novam observationum speciem monstravit. quare iure nostro paucas observationes, quae cum Aristophaneis illis comparatae novae nobis videbuntur esse, eidem vindicabimus auctori, quippe cuius operae diserta vestigia nimis rara sint, quam quae totam illustrent. omnino Didymum inprimis inter posteriores grammaticos Aristophanis vestigia pressisse eiusque opes compilavisse scitissime monuit Augustus Nauckius l. l. p. 77. exemplis ab hoc viro docto ibidem et p. 224 allatis, a Mauricio Schmidtio l. l. p. 106 locupletatis iam nostra, quae haud inutiliter rem firment fulciantque, addenda sunt [64].

64 Eandem sententiam de Didymo Aristophanearum observa-

Iam postquam scholia, quae ascripto nomine Didymo tribuuntur, collegimus, haud inutile erit unum alterumve exemplum afferre, quod, quamvis grammatici nomine careat, certissime tamen ad eum referendum totam eius observandi rationem eiusque cum Aristophane consensum clariorem reddat. Didymum agnoscemus ipsam Aristophanis notam interpretantem in schol. Eur. Andr. 32 p. 39 excripto. nam quibus verbis breve Aristophanis iudicium καὶ ὁ πρὸς Ἀνδρομάχην λόγος οὐ καλῶς ἔχων (nisi forte ad ipsum fabulae versum signum appinxerat Aristophanes) explicatum est et dilatatum: ἐπὶ τραγικοῖς προσώποις κωμῳδίαν αὐτὸν διατεθεῖσθαι· γυναικῶν τε γὰρ ὑπονοίας κατ' ἀλλήλων καὶ ζήλους καὶ λοιδορίας καὶ ἄλλα ὅσα εἰς κωμῳδίαν συντελεῖ, ea diserte auctorem testantur eundem, qui in schol. Soph. Electr. 62 a tragica sublimitate alienum iudicaverat ἐν τραγῳδίᾳ καὶ μύθῳ παλαιῷ τι κακόηθες εἰπεῖν καὶ προσκρουστικὸν εἰς τοὺς καθ' ἑαυτόν, ὃ μᾶλλον ἥρμοζε κωμῳδίᾳ. ultimo huius

tionum in scholiis nostris servatarum fonte iam ante me ut coniecturam posuit G. Wolffius l. l. p. 27 (apud Dind. p. 49), qui etiam altero loco p. 16 (ap. D. p. 37) rectissime animadvertit, perpetuo Didymum ad poetae mentem artemque respicere. longius progressus est Mauricius Schmidtius, qui l. l. p. 274 sententiam protulit, ea quae in scholiis nostris Aristophani Byzantio deberentur, Callistrati, Aristophanis discipuli, studio ad nos pervulgata esse. mihi haec coniectura valde lubrico fundamento videtur uti. nam tria scholia Euripidea (Or. 304. 424. 1031), ex quibus solis de Callistrati curis scaenicis constat, minime ad artem poetae aestimandam pertinent, et scholion Pindaricum Nem. VII 150, ubi Callistratus exponit, Pindarum οἰκείως μεμνῆσθαι Νεοπτολέμου διὰ τὴν ἀμφοτέρων γειτνίασιν, quodque in causa fuit, ut Rudolfus Schmidtius, ubi in commentatione *de Callistr. Arist.* p. 19 = 325 Nck. de indole et natura Callistrati in Pindarum commentariorum disputat, statueret, Callistratum non tam difficilia vocabula quam poetae consilium et universam sententiarum vim artemque illustrasse. illud scholion nihil fere (vocabulum οἰκείως saepe legitur in omnibus scholiis) commune habet cum scholiis tragicis, neque quod ad dicendi genus neque quod ad argumentum attinet.

generis notarum exemplo, quod praeter observationes supra collectas in scholiis nostris reliquum est, hic statim locum concedamus, quippe quod non minus certe Didymeum sit, schol. Aiacis 76 *μὴ πρὸς θεῶν*: *παραιτεῖται Ὀδυσσεύς, οὐχ ὡς κωμῳδοῦντος τοῦ ποιητοῦ τὴν δειλίαν τοῦ ἥρωος· οὕτω γὰρ ἀφαιρεθείη τῆς τραγῳδίας τὸ ἀξίωμα· ἀλλὰ τὸ εὐλαβὲς ἐνδείκνυται· ἔμφρονος γὰρ ἦν τὸ τῷ μεμηνότι παραχωρεῖν· ὅρα γάρ, οἷον ἦν προσελθόντα ἐκεῖνον θεάσασθαι τὸν ἐχθρόν*[65].

Didymeum illud *παρὰ τὰ πρόσωπα καὶ τοὺς καιρούς* persentiscimus etiam in schol. Med. 922 *αὕτη, τί χλωρεῖς*: *πάλιν εἰς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ταῦτα· ἔδει δὲ αὐτὴν μηδὲ κλαίουσαν εἰσάγεσθαι· οὐ γὰρ οἰκεῖον τῷ προσώπῳ τούτῳ. ὠμὸν γὰρ εἰσῆκται τοῦτο. ἀλλ' ἐκφέρεται τῇ ὀχλικῇ φαντασίᾳ ποιήσας κλαίουσαν καὶ συμπάσχουσαν. ἀπιθάνως γὰρ τὴν τοιαύτην διαχειριζομένην τὰ τέκνα εἰσάγει*, quo illustrantur, quae in Medeae argum. I p. 2, 13 leguntur: *μέμφονται δὲ αὐτῷ τὸ μὴ πεφυλαχέναι τὴν ὑπόκρισιν τῇ Μηδείᾳ, ἀλλὰ προπεσεῖν εἰς δάκρυα, ὅτε ἐπεβούλευσε τῷ Ἰάσονι καὶ τῇ γυναικί*. hic *οἱ μεμφόμενοι* prorsus ut in schol. Andr. 32 *οἱ φαύλως ὑπομνηματισάμενοι* Aristophanes et Didymus esse videntur. praeter ea quae iam attuli scholia, Didymum invenimus Euripidis cavillatorem in his quae infra exhibui Soph. OT. 261 OC. 220 Eurip. Tro. 1, 36, 408, 630, 975 Hec. 280 Phoen. 71, 88, 388, 1539, 1606, 1692 Androm. 631, 733[66]. his lubet addere duo scholia, quae Didymo vindicanda nulli generum quae statui apte

---

65 *Ἐχθρόν* FG Vind. 281 *νεκρόν* L. unum scholion, quod fortasse erit qui in hanc cadere classem putet, sciens praetermisi, dico ad Antig. v. 328 *τοῦτο γὰρ τύχη κρινεῖ*: *ἀπιὼν ὁ θεράπων καθ' ἑαυτὸν ταῦτα φησίν· οὐ γὰρ δυνατὸν ἐπὶ τοῦ Κρέοντος ταῦτα λέγεσθαι, ὡς καὶ ἐν τοῖς κωμικοῖς*, nam verum esse puto. quod secundum Dindorfium scholl. v. II p. 64 Porsonus pro *ἐν τοῖς κωμικοῖς* restituit *ἐν τοῖς Καμικίοις*, ut idem pro *κωμικοῖς* Photio et Suidae restitutum est s. v. *Πέρδικος σκέλος*.

66 Partem horum iam collegit M. Schmidtius l. l. p. 281 sq.

ascribi possunt. Troad. 14 δούρειος ἵππος: ψυχρῶς ἠτυμολόγησε τὸν ἵππον ἀπὸ τῶν δοράτων· ἄμεινον γὰρ παρὰ τὰ δοῦρα πεποιῆσθαι ἤγουν τὰ ξύλα. Ὅμηρος· δουράτεον, ὅ ἐστι ξύλινον, quod Didymeum esse documento est schol. Arist. Vesp. 772 ἅμα δὲ παίζει παρὰ τὴν τοῦ ἡλίου ὀνομασίαν. ψυχρῶς δὲ πέπαιχε, φησὶν ὁ Δίδυμος, πρὸς τοὔνομα. notandum vocabulum ψυχρῶς, quod legitur etiam schol. Troad. 36, ut ὑπόψυχρον OT. 280 et ψυχρεύω Aiac. 1123.

Quotcunque igitur locis Didymus se praestat cavillatorem Euripidis, quo re vera nullus poeta uberiorem vituperandi facultatem praebet iudici paullo iniquiori, tamen in Didymi honorem non praetereundum est silentio, eum in hac re non opinioni cuidam in artem Euripideam praeoccupatae indulgere, sed iustam et ex legibus suae vel potius Aristophanis artis criticae oriundam censuram exercere. clarissime hoc inde apparet, quod se non coercet in vituperando uno Euripide, sed in alios quoque poetas invehitur, ubi contra artis leges peccasse ei videantur. Pindarum mendacii convicisse Didymum iam animadvertimus. ne Sophocli quidem, quem summis laudibus plerumque effert, eum pepercisse edocemur scholiis saepius laudatis ad Aiac. 1123 et 1126, ubi altercationes, quae de Aiacis cadavere sepeliendo inter Teucrum et Menelaum exarserunt, ut alienas a tragica sublimitate damnat. quantopere, ut hoc ἐν παρόδῳ addam, hoc iudicio a vero aberraverit egregie monet Welckerus, qui compluribus locis subtilium Didymi observationum rationem habet, kl. schr. II p. 330 *die streitreden zwischen Teucros und den Atriden enthalten weder etwas frostiges noch niederes — sondern sie haben ganz den character der derben streitigkeiten der heroen im epos, als unabhängiger, an befehl und an fehden gewohnter personen.* sicut in Phoenissis scholiasta, quem Didymum esse iam agnoscemus, Iocastam vituperat, quod οὐκ ἐν δέοντι γνωμολογεῖ τοιούτων κακῶν περιεστώτων τῇ πόλει, ita ad Soph. OT. 1523 dicit καὶ αὐτάρκως ἔχει τὸ

δρᾶμα. τὰ γὰρ ἑξῆς ἀνοίκεια γνωμολογοῦντος Οἰδίποδος, quoniam quae hodie choro tribuuntur Oedipi esse censuit. nec multum a vituperio causa distat, quam Didymus affert in scholio iam supra tacto ad Aiac. 815, cur Sophocles solemni a consuetudine, mortem scilicet alicuius personae non ante oculos spectatorum ponendi sed per nuntium enarrandi, decesserit atque Aiacem induxerit in ipsa scaena gladio se perfodientem. iam monui, hanc observationem arctissime cohaerere cum nota illa Aristophanis, quam de morte Agamemnonis ab Aeschylo proprio quodam artificio spectatorum menti informata argumento suo ascripsit (v. p. 45 sqq.). ibidem nonnulla scholia ad illustrandam notam iam attuli, Aiacis huic loco reservavi, quippe quo ad quaestionem ducamur, quae paucis adumbranda erit. observat igitur, ut nobis iam breviter loqui licet, Didymus: μετάκειται ἡ σκηνὴ ἐπ' ἐρήμου τινὸς χωρίου, ἔνθα ὁ Αἴας εὐτρεπίσας τὸ ξίφος ῥῆσίν τινα πρὸ τοῦ θανάτου προφέρεται, ἐπεὶ γελοῖον ἦν κωφὸν εἰσελθόντα περιπεσεῖν τῷ ξίφει. ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα παρὰ τοῖς παλαιοῖς σπάνια. εἰώθασι γὰρ τὰ πεπραγμένα δι' ἀγγέλων ἀπαγγέλλειν. τί οὖν τὸ αἴτιον; φθάνει Αἰσχύλος ἐν Θρῄσσαις τὴν ἀναίρεσιν Αἴαντος δι' ἀγγέλου ἀπαγγείλας· ἴσως οὖν καινοτομεῖν βουλόμενος καὶ μὴ κατακολουθεῖν τοῖς ἑτέρου τινὸς ὑπ' ὄψιν θῆκε τὸ δρώμενον. ἢ μᾶλλον ἐκπλῆξαι βουλόμενος· εἰκῇ γὰρ κατηγορεῖν ἀνδρὸς παλαιοῦ οὐχ ὅσιον οὐδὲ δίκαιον[67]. potuit igitur Didymus nullam aliam insolitae Sophoclis oeconomiae causam detegere, nisi quod 'fortasse' rem novare studeret Sophocles, cum Aeschyli in Thressis Aiacis mortem per nuntium enarrantis vestigia sequi nollet. hac argumentatione quamquam dubitanter prolata lene quoddam opprobrium in Sophoclem contineri nemo non videt, et vidit etiam alter scholiasta, qui manifesta de tam vili causa indignatione motus, non tam novare rem voluisse poetam, quam terribili aspectu maiorem iniicere terrorem specta-

67 Οὐδὲ δίκαιον addit G.

λοίου καὶ ἄσεμνά ἐστιν. τίνα γὰρ λόγον ἂν ἔχοι ἥδεσθαι τὸν Ἀπόλλωνα τοῖς ὀρθιάζουσιν ὄνοις;

Clarissime apparet Aristophanem inter et Didymum iudiciorum consensus, ubi examinant, num apta sint personarum moribus ingeniisque, quae agant dicantve. de Hermionae Euripideae oratione iudicaverat Aristophanes ἐν τῷ δευτέρῳ μέρει ῥῆσις Ἑρμιόνης τὸ βασιλικὸν ὑφαιροῦσα, et ut ille reginae nimis humilem timidamque orationem vituperat, ita Didymus captivae Andromachae nimis fortem sublimemque schol. Eur. Andr. 329 Δίδυμος μέμφεται τούτοις ὡς παρὰ τὰ πρόσωπα· σεμνότεροι γὰρ οἱ λόγοι ἢ κατὰ βάρβαρον γυναῖκα καὶ δυστυχοῦσαν. confer praeterea schol. Andr. 362 Δίδυμος μέμφεται πᾶσι τούτοις ὡς παρὰ καιρὸν καὶ τὰ πρόσωπα. et ib. 229 παρὰ τὰ πρόσωπα δὲ καὶ τοὺς καιροὺς ταῦτα· πῶς γὰρ οὐκ ἔμελλεν εἰς ὀργὴν καταστῆσαι τὴν Ἑρμιόνην κατὰ τῆς μητρὸς δυσφημοῦσα.

Perlustratis scholiis pro nostrarum reliquiarum exilitate non paucis, quae a Didymo oriunda luculenter docent, hunc grammaticum in commentariis suis sedulo operam navasse arti a poetis tragicis adhibitae intellegendae et explicandae, perspecto etiam consensu, qui inter eius et Aristophanis observandi iudicandique rationem intercedit, hoc puto summa cum probabilitate (in qua semper fere in huiusmodi quaestionibus acquiescendum est) posse contendi, per Didymum nobis tradita esse, quae in scholiis nostris Aristophaneae disciplinae in arte poetica aestimanda positae prae se ferant colorem.

Qua ratione Didymus copiis Aristophanis usus sit, utrum explicaverit tantum eius notas signaque vel probaverit additis causis, quae breviter hic et concise monuit, an de suo quid adiecerit vel denique prorsus novas ingressus sit vias, certo hodie erui nequit, sed probabili tantum coniectura poni. ex tota Didymi quam aliunde cognitam habemus commentandi ratione ingentique librorum quos composuit multitudine longe veri-

quibus in scaenam missae sint, referendas esse putent. hoc studium, cui in explicandis Euripidis fabulis ipsi veteres interpretes interdum non potuerunt non indulgere, defensor noster vocabulo *κατασυκοφαντεῖν* notat. en testimonia:

schol. Hec. 254 *ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους ζηλοῦτε τιμάς: ταῦτα εἰς τὴν κατ' αὐτὸν πολιτείαν λέγει. καὶ ἔστι τοιοῦτος ὁ Εὐριπίδης περιάπτων τὰ καθ' ἑαυτὸν τοῖς ἥρωσι καὶ τοὺς χρόνους συγχέων.*

schol. Hec. 953 *ἀνάγει δὲ τοὺς χρόνους· περὶ ἑαυτοῦ γὰρ βούλεται αἰνίξασθαι ὁ Εὐριπίδης. τοιοῦτος δέ ἐστιν ἀεὶ τὰ ἡρωϊκὰ πρόσωπα εἰσάγων φιλοσοφοῦντα.* animadvertendum in his Didymeum illud *τοιοῦτός ἐστιν Εὐριπίδης*, quod etiam in schol. Soph. OC. 220 legitur.

schol. Andr. 733, ubi Menelaus verbis '*ἔστι γάρ τις οὐ πρόσω Σπάρτης πόλις τις, ἣ πρὸ τοῦ μὲν ἦν φίλη, νῦν δ' ἐχθρὰ ποιεῖ*' aperte belli Peloponnesiaci aetatem respicit, *ἔνιοί φασι παρὰ τοὺς χρόνους αἰνίττεσθαι τὰ Πελοποννησιακά. οὐκ ἀναγκαῖον δὲ κατασυκοφαντεῖν τὸν Εὐριπίδην, ἀλλὰ φάσκειν πλάσματι κεχρῆσθαι.* cfr. ib. v. 445. quin hic defensor idem sit atque ille Sophoclis *κατηγορεῖν ἀνδρὸς παλαιοῦ* vetans, ex tota defensionum natura non est dubitandum. et quoniam felici casu factum est, ut ex his duobus scholiis cognosceremus, eum Sophoclis pariter atque Euripidis gratia munere suo strenue fortiterque functum esse, necessitate quadam ad coniecturam deferimur, omnino unum eundemque fuisse, qui pro virili parte causam ageret pro culpatis immerito poetis. quam omnes spirant hae observationes doctrinam, ea egregie huic coniecturae favet, quippe in quibus nulla sit, quae ab auctore prohibeat illud 'ut desint vires tamen est laudanda voluntas'. cum in hoc poetarum tutore tertium deprehenderimus grammaticum, qui explicandae arti poetarum a plerisque neglectae se applicaret, non ab re erit quaerere, ex quanam potissimum rerum materia argumenta sua deprompserit. praeter scholia iam laudata ad Aiac. 815 Androm. 32, 733

Phoen. 909 huc referenda sunt scholl. ad Aiac. 828, 1184 Phoen. 507, 1606.

Vt vituperia, quae his locis in Euripidem mittuntur, miro modo inter se consentiunt, ita ut a Didymo Aristophanis notas interpretante oriunda ea esse mihi plene sit persuasum, ita unum prae se ferunt colorem, quae contra ea a defensore prolata sunt. Teucrum nimis atrocem et suis viribus nimis fretum notaverat Didymus ad Aiac. 1123. eundem culpat quasi vesanum ad v. 1184 *ἀπονενοημένου τὰ* ⟨*τὸ*?⟩*πάντα ἐπὶ αὐτῷ ἀνατιθέναι*, cum Aiacem se sepulturum esse etiamsi nullus permiserit iuret. sic ei *ἀλόγιστος* est *ὁ Ἐτεοκλῆς* Phoen. 507, *καταγέλαστος ὁ Αἴας* Aiac. 828, *μάταιος ὁ Ταλθύβιος* Troad. 408, *εὐήθης ἡ Ἑκάβη* ib. 1030 et quae sunt similia. contra tam graves obiurgationes viles sunt causae levesque, quas alter scholiasta pro poeta movet. vilissimum est, quo Euripidem tueri studet ad Andr. 733, ubi eum *πλάσματι χρῆσθαι* dicit in inducendo Menelao de bello Peloponnesiaco cogitante. non melius contendit *ἕνεκα τοῦ εἰς οἶκτον κινῆσαι τοὺς θεωμένους* Oedipum dicere in Phoen. 1606, se Polybo servi loco traditum fuisse, quamquam Iocasta de Polybi uxore clare narraverat v. 30 *ἡ δὲ τὸν ἐμὸν ὠδίνων πόνον μαστοῖς ὑφεῖτο, καὶ πόσιν πείθει τεκεῖν.* hoc argumento idem se prodit, qui in schol. Aiac. 815 *μᾶλλον ἐκπλῆξαι βουλόμενον* Sophoclem facit. at longe plurima defensionis adminicula ex more et ingeniis personarum desumpsit, in quibus depingendis Euripides nihil secutus esset nisi naturam humanam veritatemque, ubi sobrius Didymus absurdi quid vel stolidi repperisse sibi visus erat. cfr. scholl. Aiac. 1184 *ῥητέον οὖν, ὅτι ὑπὸ φιλοστοργίας πάντα λέγει ὑπομενεῖν.* ib. 828 *ῥητέον οὖν, ὅτι ἰδίωμα τῶν ἀνθρώπων τὸ μὴ βούλεσθαι τοὺς ἐχθροὺς ἐναβρύνεσθαι αὐτοῖς καὶ τούτου μόνου ἀντιποιοῦνται.* Phoen. 909 *λέγοι δ' ἄν τις, ὅτι γεννικόν ἐστι τὸ πρόσωπον καὶ φιλόδοξον, ὡς καὶ τὴν ψυχὴν προέσθαι ὑπὲρ εὐκλείας.* ib. 507 *πρὸς ὃ ῥητέον, ὅτι μίμησιν ἀνδρὸς ἀδίκου ἐξεικονίζει ἡμῖν ὁ Εὐριπίδης,* alia. hos fines

non egreditur scholiasta, reconditioris doctrinae nullum in eo vestigium. apparet hinc quo iure eum ad saeculum p. Chr. quartum quintumve detrudi iusserimus, nam illis potissimum temporibus florebant rhetorum sophistarumque inutilia studia, qui omnium primum id affectarent, ut fictas suas personas quam accuratissime ad vitam naturamque exprimerent. huius ἠθοποιίας magnum habebant magistrum Euripidem, cui hanc sane laudem nemo negare potest, eum hominum mores indoles affectus in fabulis suis admirabili arte et perfectione pinxisse. non mirum igitur, si longe maior observationum numerus, quas in scholiis Euripideis invenimus, ad personarum ingenia spectat et plena sunt scholia laudis, quam vere ad naturam conformata sint et expressa. quod cum ita se habeat, necesse est caveamus, ne Didymo vindicemus, quae recentioris sunt illius grammatici. sunt autem inter dubia scholia ea referenda, quibus, quod dixi, de personarum moribus et de timore vel misericordia spectatoribus iniiciendis agatur. his addenda ea, quae ad πάθος spectant, quorum specimen supra p. 45 cognovimus. huiusmodi igitur notae possunt originem ducere ab ipso recentiore scholiasta, quamvis iis quoque exemplo sit Aristophanis Didymique observandi ratio. cognoscuntur cum Didymi annotationibus comparatae plerumque facillime ex ieiuna sterilique verbositate, cum gravissima et significantissima vocabula eadem sint atque in scholiis Didymeis. ut priori exemplo unum hic addam, illud ἕνεκα τοῦ εἰς οἶκτον κινῆσαι τὸ θέατρον in scholio haud dubie Didymeo legitur ad OT. 264 πρὸς τὸ κινῆσαι τὸ θέατρον, ut saepissime κινητικὸν τοῦ θεάτρου similia. non in omnibus scholiis liquide perspici posse, utri grammaticorum tribuenda sint, non est cur memorem. neque gravis hoc est in universum momenti, cum ex iis scholiis nihil lucremur, quo notitiam nostram de studiis ab Aristophane Didymoque in hac re positis amplificare queamus.

Ad Didymum redeuntibus unum superest scholiorum

genus, quod breviter tangatur, eorum scilicet, quae ad poetarum tragicorum dissensum vel consensum cum Homero spectant. postquam primus Cobetus in scholl. Eur. ad Hec. 1.4 animadvertit, solitum fuisse ab Homero dissensum in scholiis χ signo notari, qui dissensus in Homero ipso dipla appicta notaretur, et Schraderus l. l. p. 19 addidit, etiam dissensum cum aliis poetis hoc modo notari, (quae notae et dictionem et res mythicas geographicas grammaticas respiciebant) nos unum exemplum cognovimus, ubi artem respicit signum, scholion Antig. 1350 ex Aristophanis argumento desumptum. iam nonnullae extant in scholiis, Sophocleis potissimum, observationes, quae oeconomiam a poetis scaenicis aliter atque ab Homero institutam significent. in his propria quadam indole eminent scholia ad Soph. Electr. 1, 445, 539. haec enim eo mire consentiunt, quod scholiasta alterum quendam grammaticum reprehendit, qui a Sophocle poposcerit, ut fabulam suam prorsus Homericae narrationi accomodaret. sic debebat Sophocles, illo grammatico iudice, eodem modo, quo Minerva Vlixi Ithacam monstrat ν 344 sqq., paedagogum inducere Oresti Argos monstrantem, sic debebat Clytaemnestram non in balneo interficientem facere Agamemnonem, sed ut Homerus δ 535 in coena, sic denique debebat non duas filias Menelao tribuere, sed ut Homerus δ 12 unam. contra haec postulata Sophoclem tuitus subtiliter et prudenter monet scholiasta, ignoranti terram monstrare paedagogum, Minervam incredulo; satis esse, si universa fabula eadem maneat, in singulis rebus pro arbitrio unumquemque poetam variare posse oeconomiam; non multum interesse utrum una filia tribuatur Menelao an duae, si modo dramati hac re consulat poeta. quinam sunt hi scholiastae? Didymum optime versatum in arte scaenica aestimanda unusquisque, puto, persentiscet. at quis Homericus ille? hic puto rem felicissime acu tetigisse Mauricium Schmidtium, cuius haec sunt verba l. l. p. 265: *videor mihi in his observationibus Didymum*

A r i s t a r c h i nimis sobriam censuram castigantem subodorari, qui licet Homericum loquendi usum optime nosset, tamen neque in rebus mythicis et geographicis usquequaque satis se versatum praeberet, quod etiam E. R. Langii de Aristarcho fuit iudicium, neque id, quod maximum est, poetarum elegantem et magnanimum existimatorem. his nihil habeo quod addam. meminerimus tantum velim, has quoque observationes communi eiusdem disciplinae vinculo cum illis Aristophanis coniunctas esse, quibus dissensum notaret inter variarum fabularum oeconomiam intercedentem. quare, quamvis his locis Electrae signa defuerint Aristophanis, tamen ingenium eius non desideramus.

Iam si Didymi operam in explananda poetarum tragicorum arte collocatam, accitis iis quoque observationibus, quarum auctoris nomine carentium specimina in hanc commentationem non recepimus, uno oculorum obtutu percurrimus, sat amplam habemus hanc fere imaginem: ducis et magistri Aristophanis vestigia premens Didymus omnes fere commentariis suis complexus est quaestiones, ad quas tractandas accurata artis tragicae investigatio ansam dedit. de externis subsidiis fabulae actioni necessariis eorumque usu, de prologi narrationumque nuntiorum natura, de scaenarum oeconomia, de chori personis earumque indole, de personarum dramatis moribus ingeniisque earumque in scaenam introitu vel decessione, de scaenarum singularum in auditores vi et effectu, de consensu denique fabularum vel dissensu cum omnium tragoediarum fonte Homero — de his omnibus quaesivit et disputavit Didymus. et ubique severum iustumque videmus iudicem, qui, quod falsum vel vitiosum habeat, notet et vituperet, quod praeclare dictum et inventum, laudet et praedicet refutatis repulsisque iis, qui intempestive cavillari viderentur poetas.

III

Quodsi denique ad ultimam accedimus quaestionem eam nimirum, num haec artis poeticae observandae ratio ab Aristophane primo instituta, per Didymum dilatata et in scholia nostra poetarum tragicorum illata, a recentiore denique grammatico raro et plerumque perverse adhibita, num haec, dico, sive ab ipsis illis criticis sive ab aliis exercita sit in aliorum poetarum carminibus illustrandis, eius in praeclaris scholiis Pindaricis, quae tot reconditioris doctrinae, Didymeae imprimis, specimina servarunt, nullum deprehendere potui vestigium. quod in hoc poeta minime mirum. licet veteres interpretes, ut Callistratus et Didymus[68], ad mentem poetae consiliumque eruendum attenderent, tamen Pindari ars prorsus aliam explicandi viam requirebat. horum carminum admirabilis varietas omnem respuebat certam fixamque interpretandi normam, et ad perplexam horum carminum compositionem artemque clare perspiciendam quaestionibus opus erat historicis mythicisque, quae breves illas et concisas notas a limine statim arcerent.

68 Cfr. schol. Nem. I 7 *πιθανὸν οὖν φησιν ὁ Δίδυμος καὶ τὸν ἐπὶ τῆς Χρομίου Νεμεακῆς νίκης ἐπίνικον ἕνεκα τούτου συντετάχθαι, ὑπὲρ τοῦ μέλλειν αὐτὸν ὑπὲρ τῆς πανηγύρεως ᾄσθήσεσθαι.* semel *οἰκονομίαν* legi Pyth. IV inscr. *ἥτις καὶ οἰκειοτέρα ἐστὶ κατὰ τὰ νοήματα καὶ κατὰ τὴν οἰκονομίαν.* Olymp. I 9 *εὖ καὶ ἐκ καιροῦ* ib. 105 *δαιμονίως* Pyth. I inscr. *οἰκειότατα* ib. 137 *χαριέστατα.* haec omnia vel Didymea vel Callistratea nisi singula vocabula nihil commune habent cum observationibus in poetas tragicos de his rebus institutis.

Aliter res se habet in scholiis Homericis. in quibus quae sit harum observationum condicio priusquam adumbrare conemur, pauca praemonenda sunt de universa scholiorum quae in duobus codicibus Venetis extant condicione, quam nuper Valentinus Rosius in Aristotelis pseudepigraphi volumine primo p. 153 sqq. accuratius descripsit. ex eius perutili quidem at intricata et intellectu non facili commentatione gravissima hic liceat repetere.

Tria distinguenda sunt in duobus illis codicibus scholiorum genera, unum in cod. Ven. A, duo in cod. Ven. B. codex enim B praeter Iliadis textum in utroque margine i. e. interiore et exteriore scholia exhibet diligenter et litterarum magnitudine et loco inter se distincta, quae prorsus diversae recensioni originem debent. interioris marginis scholia eodem subinde fonte nituntur ac scholia cod. A et interdum *easdem res verbis aut similibus aut quod rarius evenit eisdem fere* reddunt. fontem illum ex quo auctor scholiorum codd. A et B int. m. hausit, recentiorem Porphyrio esse Rosius collegit ex schol. A Δ 63, ubi Porphyrius nomine citatur. ab his duobus commentariis is, qui in exteriore cod. B margine scriptus est, toto caelo distat. nam quae tanti pretii sunt in cod. A observationes quattuor grammaticorum Aristonici Didymi Herodiani Nicanoris, nullae leguntur in cod. B exter. m., cum B inter. m. nonnullas sane cum A habeat communes. cod. B exter. m. contra propria sunt integra Porphyrii Heracliti Diogeniani fragmenta, quae nulla sunt in A. licet enim auctor commentarii A Porphyrii opus hic illic in usum suum converterit, *ipsa Porphyrii verba integraque quaestionum Homericarum fragmenta in exteriore tantum cod. B margine leguntur.* iterum B inter. m. medium tenet. nam ut quattuor illorum grammaticorum notas cum A habet communes, ita ex quaestionibus Porphyrii Homericis longe plura exhibet, quam A, at ubique in brevius contracta. hac scholiorum condicione perspecta iam ad nostram transeamus quaestionem.

toribus opponit, nam, ut Didymum reprehendens poetico fortasse flosculo addit, 'Sophoclem tam veterem hominem temere accusare nec pium est nec iustum', *οὐχ ὅσιον οὐδὲ δίκαιον*. Euripidis defensorem iam cognovimus, hic videmus vel Sophocli talem non defuisse. huiusmodi litteratae inter scholiastas disceptationis specimina, quae passim in scholiis uniuscuiusque materiae inveniuntur, vel in iis quaestionibus, quas de arte poetarum institutas videmus, non rara sunt nobisque testantur, id quod non nullius momenti est ad definiendam singulorum scholiorum aetatem, quam multum vel apud recentiores grammaticos Aristophanis in hac re exemplum valuerit. scholiastam, qui hoc loco defensoris partes susciperet, longo temporis spatio a Didymo seiunctum fuisse ex miro vocis *παλαιός* usu colligi potest, quam ille ad opponendum Sophoclem recentioribus poetis usurpat, hic, ut a poeta iam vetustate reverendo religiose omnem arceat calumniam. et in hac re notatu dignum est, grammaticum illum, quem per me licet ad quartum quintumve p. Chr. n. saeculum detrudas, iisdem argumentis refutare Didymum, quae ab Aristophane primum adhibita per ipsum Didymum ei innotuerint. nam illis *μᾶλλον ἐκπλῆξαι βουλόμενος* admodum similia sunt, quae in argumento Agamemnonis leguntur *ὡς ἔκπληξιν ἔχον καὶ οἶκτον ἱκανόν* et in schol. Aiac. 346 *εἰς ἔκπληξιν φέρει καὶ ταῦτα τὸν θεατήν*.

Audiamus defensorem in altera causa. in scholiis Euripideis nonnullae inveniuntur observationes, quibus poeta arguitur tempora confudisse suisque dramatis inseruisse, quae ad suae ipsius aetatis res personasve spectarent. in his notis constantem se censorem praestat Didymus, qui quam arctis finibus ea quae tragoediae propria essent et quae comoediae circumscripsisset scholio Electrae initio huius capitis cognovimus. persequitur in hac re Didymus viam multis nostrae aetatis criticis prorsus contrariam, quippe qui iure interdum, plerumque sine idoneis causis tragoedias non aliter ac comoedias ad illorum temporum historiam,

quibus in scaenam missae sint, referendas esse putent. hoc studium, cui in explicandis Euripidis fabulis ipsi veteres interpretes interdum non potuerunt non indulgere, defensor noster vocabulo *κατασυκοφαντεῖν* notat. en testimonia:

schol. Hec. 254 *ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους ζηλοῦτε τιμάς: ταῦτα εἰς τὴν κατ' αὐτὸν πολιτείαν λέγει. καὶ ἔστι τοιοῦτος ὁ Εὐριπίδης περιάπτων τὰ καθ' ἑαυτὸν τοῖς ἥρωσι καὶ τοὺς χρόνους συγχέων.*

schol. Hec. 953 *ἀνάγει δὲ τοὺς χρόνους· περὶ ἑαυτοῦ γὰρ βούλεται αἰνίξασθαι ὁ Εὐριπίδης. τοιοῦτος δέ ἐστιν ἀεὶ τὰ ἡρωϊκὰ πρόσωπα εἰσάγων φιλοσοφοῦντα.* animadvertendum in his Didymeum illud *τοιοῦτός ἐστιν Εὐριπίδης*, quod etiam in schol. Soph. OC. 220 legitur.

schol. Andr. 733, ubi Menelaus verbis '*ἔστι γάρ τις οὐ πρόσω Σπάρτης πόλις τις, ἣ πρὸ τοῦ μὲν ἦν φίλη, νῦν δ' ἐχθρὰ ποιεῖ*' aperte belli Peloponnesiaci aetatem respicit, *ἔνιοί φασι παρὰ τοὺς χρόνους αἰνίττεσθαι τὰ Πελοποννησιακά. οὐκ ἀναγκαῖον δὲ κατασυκοφαντεῖν τὸν Εὐριπίδην, ἀλλὰ φάσκειν πλάσματι κεχρῆσθαι.* cfr. ib. v. 445. quin hic defensor idem sit atque ille Sophoclis *κατηγορεῖν ἀνδρὸς παλαιοῦ* vetans, ex tota defensionum natura non est dubitandum. et quoniam felici casu factum est, ut ex his duobus scholiis cognosceremus, eum Sophoclis pariter atque Euripidis gratia munere suo strenue fortiterque functum esse, necessitate quadam ad coniecturam deferimur, omnino unum eundemque fuisse, qui pro virili parte causam ageret pro culpatis immerito poetis. quam omnes spirant hae observationes doctrinam, ea egregie huic coniecturae favet, quippe in quibus nulla sit, quae ab auctore prohibeat illud 'ut desint vires tamen est laudanda voluntas'. cum in hoc poetarum tutore tertium deprehenderimus grammaticum, qui explicandae arti poetarum a plerisque neglectae se applicaret, non ab re erit quaerere, ex quanam potissimum rerum materia argumenta sua deprompserit. praeter scholia iam laudata ad Aiac. 815 Androm. 32, 733

Phoen. 909 huc referenda sunt scholl. ad Aiac. 828, 1184 Phoen. 507, 1606.

Vt vituperia, quae his locis in Euripidem mittuntur, miro modo inter se consentiunt, ita ut a Didymo Aristophanis notas interpretante oriunda ea esse mihi plene sit persuasum, ita unum prae se ferunt colorem, quae contra ea a defensore prolata sunt. Teucrum nimis atrocem et suis viribus nimis fretum notaverat Didymus ad Aiac. 1123. eundem culpat quasi vesanum ad v. 1184 *ἀπονενοημένου τὰ* ⟨*τὸ*?⟩ *πάντα ἐπὶ αὐτῷ ἀνατιθέναι*, cum Aiacem se sepulturum esse etiamsi nullus permiserit iuret. sic ei *ἀλόγιστος* est *ὁ Ἐτεοκλῆς* Phoen. 507, *καταγέλαστος ὁ Αἴας* Aiac. 828, *μάταιος ὁ Ταλθύβιος* Troad. 408, *εὐήθης ἡ Ἑκάβη* ib. 1030 et quae sunt similia. contra tam graves obiurgationes viles sunt causae levesque, quas alter scholiasta pro poeta movet. vilissimum est, quo Euripidem tueri studet ad Andr. 733, ubi eum *πλάσματι χρῆσθαι* dicit in inducendo Menelao de bello Peloponnesiaco cogitante. non melius contendit *ἕνεκα τοῦ εἰς οἶκτον κινῆσαι τοὺς θεωμένους* Oedipum dicere in Phoen. 1606, se Polybo servi loco traditum fuisse, quamquam Iocasta de Polybi uxore clare narraverat v. 30 *ἡ δὲ τὸν ἐμὸν ὠδίνων πόνον μαστοῖς ὑφεῖτο, καὶ πόσιν πείθει τεκεῖν*. hoc argumento idem se prodit, qui in schol. Aiac. 815 *μᾶλλον ἐκπλῆξαι βουλόμενον* Sophoclem facit. at longe plurima defensionis adminicula ex more et ingeniis personarum desumpsit, in quibus depingendis Euripides nihil secutus esset nisi naturam humanam veritatemque, ubi sobrius Didymus absurdi quid vel stolidi repperisse sibi visus erat. cfr. scholl. Aiac. 1184 *ῥητέον οὖν, ὅτι ὑπὸ φιλοστοργίας πάντα λέγει ὑπομενεῖν*. ib. 828 *ῥητέον οὖν, ὅτι ἰδίωμα τῶν ἀνθρώπων τὸ μὴ βούλεσθαι τοὺς ἐχθροὺς ἐναβρύνεσθαι αὐτοῖς καὶ τούτου μόνου ἀντιποιοῦνται*. Phoen. 909 *λέγοι δ' ἄν τις, ὅτι γεννικόν ἐστι τὸ πρόσωπον καὶ φιλόδοξον, ὡς καὶ τὴν ψυχὴν προέσθαι ὑπὲρ εὐκλείας*. ib. 507 *πρὸς ὃ ῥητέον, ὅτι μίμησιν ἀνδρὸς ἀδίκου ἐξεικονίζει ἡμῖν ὁ Εὐριπίδης*, alia. hos fines

non egreditur scholiasta, reconditioris doctrinae nullum in eo vestigium. apparet hinc quo iure eum ad saeculum p. Chr. quartum quintumve detrudi iusserimus, nam illis potissimum temporibus florebant rhetorum sophistarumque inutilia studia, qui omnium primum id affectarent, ut fictas suas personas quam accuratissime ad vitam naturamque exprimerent. huius ἠθοποιίας magnum habebant magistrum Euripidem, cui hanc sane laudem nemo negare potest, eum hominum mores indoles affectus in fabulis suis admirabili arte et perfectione pinxisse. non mirum igitur, si longe maior observationum numerus, quas in scholiis Euripideis invenimus, ad personarum ingenia spectat et plena sunt scholia laudis, quam vere ad naturam conformata sint et expressa. quod cum ita se habeat, necesse est caveamus, ne Didymo vindicemus, quae recentioris sunt illius grammatici. sunt autem inter dubia scholia ea referenda, quibus, quod dixi, de personarum moribus et de timore vel misericordia spectatoribus iniiciendis agatur. his addenda ea, quae ad πάθος spectant, quorum specimen supra p. 45 cognovimus. huiusmodi igitur notae p o s s u n t originem ducere ab ipso recentiore scholiasta, quamvis iis quoque exemplo sit Aristophanis Didymique observandi ratio. cognoscuntur cum Didymi annotationibus comparatae plerumque facillime ex ieiuna sterilique verbositate, cum gravissima et significantissima vocabula eadem sint atque in scholiis Didymeis. ut priori exemplo unum hic addam, illud ἕνεκα τοῦ εἰς οἶκτον κινῆσαι τὸ θέατρον in scholio haud dubie Didymeo legitur ad OT. 264 πρὸς τὸ κινῆσαι τὸ θέατρον, ut saepissime κινητικὸν τοῦ θεάτρου similia. non in omnibus scholiis liquide perspici posse, utri grammaticorum tribuenda sint, non est cur memorem. neque gravis hoc est in universum momenti, cum ex iis scholiis nihil lucremur, quo notitiam nostram de studiis ab Aristophane Didymoque in hac re positis amplificare queamus.

Ad Didymum redeuntibus unum superest scholiorum

genus, quod breviter tangatur, eorum scilicet, quae ad poetarum tragicorum dissensum vel consensum cum Homero spectant. postquam primus Cobetus in scholl. Eur. ad Hec. 1.4 animadvertit, solitum fuisse ab Homero dissensum in scholiis χ signo notari, qui dissensus in Homero ipso dipla appicta notaretur, et Schraderus l. l. p. 19 addidit, etiam dissensum cum aliis poetis hoc modo notari, (quae notae et dictionem et res mythicas geographicas grammaticas respiciebant) nos unum exemplum cognovimus, ubi artem respicit signum, scholion Antig. 1350 ex Aristophanis argumento desumptum. iam nonnullae extant in scholiis, Sophocleis potissimum, observationes, quae oeconomiam a poetis scaenicis aliter atque ab Homero institutam significent. in his propria quadam indole eminent scholia ad Soph. Electr. 1, 445, 539. haec enim eo mire consentiunt, quod scholiasta alterum quendam grammaticum reprehendit, qui a Sophocle poposcerit, ut fabulam suam prorsus Homericae narrationi accomodaret. sic debebat Sophocles, illo grammatico iudice, eodem modo, quo Minerva Vlixi Ithacam monstrat ν 344 sqq., paedagogum inducere Oresti Argos monstrantem, sic debebat Clytaemnestram non in balneo interficientem facere Agamemnonem, sed ut Homerus δ 535 in coena, sic denique debebat non duas filias Menelao tribuere, sed ut Homerus δ 12 unam. contra haec postulata Sophoclem tuitus subtiliter et prudenter monet scholiasta, ignoranti terram monstrare paedagogum, Minervam incredulo; satis esse, si universa fabula eadem maneat, in singulis rebus pro arbitrio unumquemque poetam variare posse oeconomiam; non multum interesse utrum una filia tribuatur Menelao an duae, si modo dramati hac re consulat poeta. quinam sunt hi scholiastae? Didymum optime versatum in arte scaenica aestimanda unusquisque, puto, persentiscet. at quis Homericus ille? hic puto rem felicissime acu tetigisse Mauricium Schmidtium, cuius haec sunt verba l. l. p. 265: *videor mihi in his observationibus Didymum*

Aristarchi nimis sobriam censuram castigantem subodorari, qui licet Homericum loquendi usum optime nosset, tamen neque in rebus mythicis et geographicis usquequaque satis se versatum praeberet, quod etiam E. K. Langii de Aristarcho fuit iudicium, neque id, quod maximum est, poetarum elegantem et magnanimum existimatorem. his nihil habeo quod addam. meminerimus tantum velim, has quoque observationes communi eiusdem disciplinae vinculo cum illis Aristophanis coniunctas esse, quibus dissensum notaret inter variarum fabularum oeconomiam intercedentem. quare, quamvis his locis Electrae signa defuerint Aristophanis, tamen ingenium eius non desideramus.

Iam si Didymi operam in explananda poetarum tragicorum arte collocatam, accitis iis quoque observationibus, quarum auctoris nomine carentium specimina in hanc commentationem non recepimus, uno oculorum obtutu percurrimus, sat amplam habemus hanc fere imaginem: ducis et magistri Aristophanis vestigia premens Didymus omnes fere commentariis suis complexus est quaestiones, ad quas tractandas accurata artis tragicae investigatio ansam dedit. de externis subsidiis fabulae actioni necessariis eorumque usu, de prologi narrationumque nuntiorum natura, de scaenarum oeconomia, de chori personis earumque indole, de personarum dramatis moribus ingeniisque earumque in scaenam introitu vel decessione, de scaenarum singularum in auditores vi et effectu, de consensu denique fabularum vel dissensu cum omnium tragoediarum fonte Homero — de his omnibus quaesivit et disputavit Didymus. et ubique severum iustumque videmus iudicem, qui, quod falsum vel vitiosum habeat, notet et vituperet, quod praeclare dictum et inventum, laudet et praedicet refutatis repulsisque iis, qui intempestive cavillari viderentur poetas.

— ———

III

Quodsi denique ad ultimam accedimus quaestionem eam nimirum, num haec artis poeticae observandae ratio ab Aristophane primo instituta, per Didymum dilatata et in scholia nostra poetarum tragicorum illata, a recentiore denique grammatico raro et plerumque perverse adhibita, num haec, dico, sive ab ipsis illis criticis sive ab aliis exercita sit in aliorum poetarum carminibus illustrandis, eius in praeclaris scholiis Pindaricis, quae tot reconditioris doctrinae, Didymeae imprimis, specimina servarunt, nullum deprehendere potui vestigium. quod in hoc poeta minime mirum. licet veteres interpretes, ut Callistratus et Didymus[68], ad mentem poetae consiliumque eruendum attenderent, tamen Pindari ars prorsus aliam explicandi viam requirebat. horum carminum admirabilis varietas omnem respuebat certam fixamque interpretandi normam, et ad perplexam horum carminum compositionem artemque clare perspiciendam quaestionibus opus erat historicis mythicisque, quae breves illas et concisas notas a limine statim arcerent.

---

68 Cfr. schol. Nem. I 7 *πιθανὸν οὖν φησιν ὁ Δίδυμος καὶ τὸν ἐπὶ τῆς Χρομίου Νεμεακῆς νίκης ἐπίνικον ἕνεκα τούτου συντετάχθαι, ὑπὲρ τοῦ μέλλειν αὐτὸν ὑπὲρ τῆς πανηγύρεως ἀσθήσεσθαι.* semel *οἰκονομίαν* legi Pyth. IV inscr. *ἥτις καὶ οἰκειοτέρα ἐστὶ κατὰ τὰ νοήματα καὶ κατὰ τὴν οἰκονομίαν.* Olymp. I 9 *εὖ καὶ ἐκ καιροῦ* ib. 105 *δαιμονίως* Pyth. I inscr. *οἰκειότατα* ib. 137 *χαριέστατα.* haec omnia vel Didymea vel Callistratea nisi singula vocabula nihil commune habent cum observationibus in poetas tragicos de his rebus institutis.

Aliter res se habet in scholiis Homericis. in quibus quae sit harum observationum condicio priusquam adumbrare conemur, pauca praemonenda sunt de universa scholiorum quae in duobus codicibus Venetis extant condicione, quam nuper Valentinus Rosius in Aristotelis pseudepigraphi volumine primo p. 153 sqq. accuratius descripsit. ex eius perutili quidem at intricata et intellectu non facili commentatione gravissima hic liceat repetere.

Tria distinguenda sunt in duobus illis codicibus scholiorum genera, unum in cod. Ven. A, duo in cod. Ven. B. codex enim B praeter Iliadis textum in utroque margine i. e. interiore et exteriore scholia exhibet diligenter et litterarum magnitudine et loco inter se distincta, quae prorsus diversae recensioni originem debent. interioris marginis scholia eodem subinde fonte nituntur ac scholia cod. A et interdum *easdem res verbis aut similibus aut quod rarius evenit eisdem fere* reddunt. fontem illum ex quo auctor scholiorum codd. A et B int. m. hausit, recentiorem Porphyrio esse Rosius collegit ex schol. A *Δ* 63, ubi Porphyrius nomine citatur. ab his duobus commentariis is, qui in exteriore cod. B margine scriptus est, toto caelo distat. nam quae tanti pretii sunt in cod. A observationes quattuor grammaticorum Aristonici Didymi Herodiani Nicanoris, nullae leguntur in cod. B exter. m., cum B inter. m. nonnullas sane cum A habeat communes. cod. B exter. m. contra propria sunt integra Porphyrii Heracliti Diogeniani fragmenta, quae nulla sunt in A. licet enim auctor commentarii A Porphyrii opus hic illic in usum suum converterit, *ipsa Porphyrii verba integraque quaestionum Homericarum fragmenta in exteriore tantum cod. B margine leguntur*. iterum B inter. m. medium tenet. nam ut quattuor illorum grammaticorum notas cum A habet communes, ita ex quaestionibus Porphyrii Homericis longe plura exhibet, quam A, at ubique in brevius contracta. hac scholiorum condicione perspecta iam ad nostram transeamus quaestionem.

Veteres Homeri interpretes Zenodotus Aristophanes Aristarchus vel omnino abstinebant ab arte eius explicanda vel iis tantum locis artis poeticae rationem habebant, ubi ad quaestiones criticas solvendas inde quid redundaret. non ita recentiores. in codice enim Veneto B, quocum plerisque locis consentit Lipsiensis et Leydensis, haud ita parvus invenitur observationum numerus, quae similis doctrinae videantur esse atque eae, quas in tragicorum scholiis cognovimus. admodum rarae harum laciniae in cod. A leguntur. sunt autem illae et observandi et, ut obiter legenti videri potest, dicendi ratione inter se et Aristophaneis Didymeisque animadversionibus tam similes, ut pro certo habendum sit, eas ab uno eodemque grammatico profectas esse et a grammatico quidem, qui aut eandem viam, quam Aristophanem videret iniisse in aestimanda tragicorum arte, persequeretur in explananda arte Homerica, aut Aristotelea certe imbutus esset disciplina. talem artis explicationem nullum habuisse locum in carminibus Homericis, nisi Iliade et Odyssea acceptis pro magnis quasi tragoediis, in promptu est.

Quae sententia, ut Aristoteli[69] propria fuit, ita re vera in omnibus observationibus redit. in Aristophanis commentariis Homericis eius sententiae nullum vestigium. Didymi quoque commentariorum Homericorum exegeticorum quae supersunt reliquiae, paucae quidem et tam exi-

---

69 Cfr. AP.4 p. 1448[b] 34 *ὥσπερ δὲ καὶ τὰ σπουδαῖα μάλιστα ποιητὴς Ὅμηρος ἦν (μόνος γὰρ οὐχ ὅτι εὖ, ἀλλ' ὅτι καὶ μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν), οὕτω δὲ καὶ τὰ τῆς κωμῳδίας σχήματα πρῶτος ὑπέδειξεν, οὐ ψόγον ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσας· ὁ γὰρ Μαργίτης ἀνάλογον ἔχει ὥσπερ Ἰλιὰς καὶ Ὀδύσσεια πρὸς τὰς τραγῳδίας, οὕτω καὶ οὗτος πρὸς τὰς κωμῳδίας.* iam ante Aristotelem Plato Homerum poetam tragicum appellaverat vel tragicorum magistrum cfr. Reipubl. X p. 607[a] *Ὅμηρον ποιητικώτατον εἶναι καὶ πρῶτον τῶν τραγῳδοποιῶν.* ib. p. 595[c] *ἔοικε (Ὅμηρος) μὲν γὰρ τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλος τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι.* cfr. ib. p. 598[d] et Theaet. p. 152[e].

les, ut vix plenam ex iis imaginem operis illius refingere queamus, nullam praebent observationem, quae vel levissimam habeat similitudinem cum iis notis quae ad artem Homericam spectant. et externa dictionis similitudo, quae inter has notas et Didymi observationes in scholiis tragicorum frequentes intercedit, non sufficit ad communem auctorem agnoscendum, praesertim cum aliquid certe discriminis in dicendi genere inter eas non negandum sit. scholia nempe Homerica, quae huc referenda sunt, eorumque non pessima partim verbositate auctorem Didymo recentiorem sapiunt partim eo, quod vocabulorum in arte interpretanda solemnium fixorumque genuina significatio sat multis locis adeo evanuit, ut maxime propria usurparentur ad res vilissimas notandas [70]. alius igitur circumspiciendus est auctor. eo quod princeps, ut dixi, scholiorum horum fons codex est Venetus B iam certus indicari videtur auctor, si quidem verum est quod L e h r s i u s in Aristarcho p. 225 ed. pr. iudicavit, paene omnia huius codicis scholia P o r p h y r i i esse. quod iudicium ex parte stabilitum est accuratiore codicis descriptione a Rosio facta, secundum quam interioris marginis scholia excerpta continent ex amplioribus Porphyrii disputationibus in exteriore margine scriptis. iam nostrum erit quaerere, quatenus Porphyrius in problematis suis Homericis artis poeticae explicandae rationem habuerit, qua cum quaestione altera arcte coniuncta est, quantum in hac re ex eius copiis profecerit scriptor commentarii in interiore cod. B

---

70 Exemplum praebet vox *οἰκονομικῶς* et quae ex ea derivatae sunt. cfr. schol. H *γ* 279 *δαιμονίως προῳκονόμηται πρὸ τοῦ μεσοῦντος χειμῶνος τελευτᾶν τὸν κυβερνήτην.* ib. 296 *μικρὸν λίθον εἶπεν ὡς πρὸς σύγκρισιν τῶν ἐκεῖ γινομένων κυμάτων· ὅλον δὲ οἰκονομημένως, ἵνα τοῖς περὶ τὸ χωρίον αὐτῶν ἀσινὴς ἡ ἔκβασις γένηται προεκλυομένου τοῦ κύματος.* vel de Alcinoo, cui dei instar obtemperat populus schol. PQ *η* 11 *καὶ τοῦτο οἰκονομικῶς. — διὰ δὲ τὴν φιλοξενίαν τοῦ Ἀλκινόου ἀναγκαίως ὑπακούουσι.* similia inveniuntur ad *γ* 360 *ι* 116, 209, 308 *κ* 95 *ϱ* 376 *τ* 175. talia non sunt Didymi.

margine exarati. Porphyrio ea scholia omnia attribui, quae in B scripta quaestionem solutionemque continent, nihil curans, utrum in editione Bekkeriana nomen Porphyrii iis propositum sit necne, cum quanto arbitrio in hac re usi essent editores demonstrarit Rosius l. l. p. 152, et multis locis Porphyrii nomen, quod non legitur in B in aliis codicibus veluti Etonensi Escurialensi servatum sit[71]. nec magis necessarium duxi, ut a disputatione de scholiis in Iliadem conscriptis secernerem eam quae de Odysseae est scholiis, quippe quae ex iisdem fontibus derivata exiliora modo praeberent quae ampliora servarunt codd. AB. etiam in Odysseae scholiis frequentes sunt quaestiones Porphyrianae, paucae servato nomine auctoris, plurimae *ἀδέσποτοι*.

Omnes igitur quae ad artem spectant observationes e sententia pendent, Iliadem et Odysseam magnas esse tragoedias et ita quidem, ut Odyssea pro supplemento quasi sit Iliadi i. e. ut quae res non narratae sint in Iliade, eae in Odyssea suppleantur. unum hic, nam plura infra dabuntur, sufficiet exemplum schol. HM *γ* 103 *γεροντικῶς ὁ Νέστωρ μακροτέραν ποιεῖται τὴν ἀπόκρισιν· ἄλλως τε ὁ ποιητὴς εὐκαίρως προσαναπληροῖ τὰ λελειμμένα τῇ Ἰλιακῇ ὑποθέσει.* quae observatio cum quasi cardo sit omnium scholiorum quae huc referenda sunt, et cum ex ea luculentissime perspiciatur, omnia unius eiusdemque scholae disciplina contineri, rem ita institui, ut iis scholiis Porphyrii doctrinam illustrarem unde simul appareret, quam accurate et, quod non potuit non fieri, quam perverse interdum Homericis tragoediis aptata esset ea artis poeticae explicatio, quam in tragicorum scholiis cognovimus.

Saepissime carmina Homerica *τραγῳδίαι* vocantur. hanc significationem solemnem esse in Porphyrio testatur

---

71 Indicem quaestionum Porphyrianarum exhibet Eduardus Kammerus in libello qui inscriptus est *Porphyrii scholia Homerica emendatiora. Regimonti 1863* p. 8—32.

schol. B Γ 306, ubi in *λύσει ἀπορίας· διὰ τί ὁ Πρίαμος τὸν μὲν Ἀλέξανδρον καὶ τὸν Μενέλαον οὐκ ἂν ἔφη δύνασθαι ἰδεῖν μαχομένους ἀλλ' ᾤχετ' ἀπιών, τὸν δ' Ἀχιλλέα καὶ Ἕκτορα θεωρεῖ*; inter alia haec leguntur *οὕτως γὰρ καὶ ἡ μήτηρ πάρεστιν, οὐχ ἵνα θεάσηται μαχόμενον, ἀλλ' ἵνα μὴ θεάσηται, εἰσελθόντος αὐτοῦ δεομένη. καὶ ἅμα τῷ ποιητῇ ἡ τραγῳδία ἀνύεται, δι' οἴκτου ψυχαγωγοῦσα τὸν ἀκροατήν, τούτων παρόντων κτλ.* redeunt igitur hic quoque vocabula *οἶκτος ψυχαγωγεῖν ἀκροατής* quae in tragicorum scholiis saepissime leguntur. idem scholion exemplo est eius rei, quam supra posuimus, ex quaestionibus Porphyrianis hausisse auctorem alterius scholiorum cod. B generis eas aut in brevius contrahentem aut forma *ἀπορίας* plane exuentem. nam ad eundem versum in schol. BL annotatur: *ἐπεὶ σώζειν Ἀλέξανδρον μέλλει πιθανῶς ὑπεξάγει τὸν πατέρα, Ἕκτορα δὲ αὐτόπτην ἐᾷ ἐπὶ τῷ τὸν οἶκτον αὔξειν. παρὼν γὰρ ἐνταῦθα ἔδωκεν ἂν τὴν Ἑλένην ὡς τοὺς ὅρκους ἐπιστευθείς. εἰ δὲ καὶ πᾶσιν ὡς κὴρ ἀπέχθεται Ἀλέξανδρος, ἀλλ' ὁ πατὴρ τὸ φυσικὸν οὐ δύναται μὴ σώζειν.* similis ratio intercedere mihi videtur inter scholia, quibus de prooemio Iliadis agitur. solemnem fuisse quaestionem, cur a voce male ominata *μῆνις* exordium sumpsisset poeta, docent amplae reliquiae, quae illius quaestionis supersunt in scholiis nostris. quamquam Bekkerus unum tantum breve scholion affert ex codice B, quod hanc respicit quaestionem, tamen dubium esse non potest, quin omnium harum reliquiarum fons fuerit quaestio et solutio Porphyriana. nam teste Rosio l. l. p. 152 in primis codicis foliis extremae membranae, quae integras Porphyrii quaestiones exhibent, usu adeo attritae sunt, ut multa aut difficillima sint lectu aut etiam nullo modo legi possint, quare magnam earum partem non solum Villoisonus sed etiam qui unius codicis B scholia in primum carmen edidit Bongiovannius (Venetiis 1740) omisit. in his quaestio de prooemio Iliadis Porphyriana fuisse videtur. eam in brevius contractam habet AL: *ζητοῦσι διὰ τί ἀπὸ τῆς μήνιδος*

ἤρξατο, οὕτω δυσφήμου ὀνόματος. διὰ δύο ταῦτα, πρῶτον μὲν, ἵν' ἐκ τοῦ πάθους ἀποκαθαριεύσῃ τὸ τοιοῦτο μόριον τῆς ψυχῆς καὶ προσεκτικωτέρους τοὺς ἀκροατὰς ἐπὶ τοῦ μεγέθους ποιήσῃ, καὶ προεθίσῃ φέρειν γενναίως ἡμᾶς τὰ πάθη, μέλλων πολέμους ἀπαγγέλλειν. δεύτερον δὲ κτλ. illud προσεκτικωτέρους τοὺς ἀκροατὰς ποιεῖν frequens in tragicorum scholiis. etiam breviorem illam quaestionem praebet BL ἔτι ζητεῖται διὰ τί ἀπὸ δυσφήμου ὀνόματος τῆς μήνιδος ἄρχεται. ἐπιλύουσι δὲ αὐτὸ οἱ περὶ Ζηνόδοτον [72] οὕτως, ὅτι πρέπον ἐστὶ τῇ ποιήσει τὸ προοίμιον, τὸν νοῦν τῶν ἀκροατῶν διεγεῖρον καὶ προσεχεστέρους ποιοῦν, εἰ μέλλοι πολέμους καὶ θανάτους διηγεῖσθαι ἡρώων. soluta denique ex quaestionis forma eadem leguntur in AL ἤρξατο μὲν ἀπὸ μήνιδος, ἐπείπερ αὕτη τοῖς πρακτικοῖς ὑπόθεσις γέγονεν ἄλλως τε καὶ τραγῳδίας τραγικὸν ἐξεῦρε τὸ προοίμιον· καὶ γὰρ προσεκτικοὺς ἡμᾶς ἡ τῶν ἀτυχημάτων διήγησις ἐργάζεται, καὶ ὡς ἄριστος ἰατρὸς, πρῶτον ἀναστέλλων τὰ νοσήματα τῆς ψυχῆς ὕστερον τὴν ἴασιν ἐπάγει. hic luculento quodam exemplo persequi possumus, in quot varias formas observationes Porphyrianae redactae sint. propria vocabula servantur, alia mutantur, multa omittuntur, omnia contrahuntur. ceterum ex his scholiis apertum fit, quod iam dudum intellectum est, Porphyrium penitus sese applicasse ad praecepta Aristotelis, cuius ἀπορημάτων Ὁμηρικῶν ampla fragmenta ipsis quaestionibus Porphyrianis nos debemus, quae Rosius collegit l. l. p. 155 sqq. non huius est loci diversas quas viri docti protulerunt de his problematis sententias recensere et examinare [73]. hoc vel ab iis, qui subditiciis censent

72 *Iunior est Zenodotus, cuius* λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων *Suid. commemorat.* Lehrs. l. l. p. 228. usus est iis Porphyrius qui laudat Zenodotum ad Β 12 Γ 236.

73 Vt principes nominem contrariarum inter se sententiarum Lehrsius l. l. p. 227 pro subditiciis habet problemata, Rosius l. l. p. 154 iudicat: *ceterum Aristotelis quaestiones conciso illo problematum Peripateticorum sermone scriptas breviterque et enunciatas*

problematis Porphyrium usum esse, negari non potest, ea tota, quod quidem ad artem poeticam attinet, pendere ex Aristotelis philosophi doctrina. id certis quibusdam exemplis demonstravit Wachsmuthius l. l. p. 30 sqq., quorum unum alterumve infra afferendum erit[74]. quod cum ita sit non mirum est, si vel inter simillimas scholiorum tragicorum et Homericorum notas aliquid discriminis in universa explicandi observandique ratione intercedit. ibi grammaticum habemus, qui Aristotelis praecepta suis observationibus probat diligenterque notat, ubi cum iis consentire vel ab iis decedere videantur poetae, hic philosophum, qui non satis habet examinasse ipsa carmina, num congruerent cum magistri praeceptis, sed qui eodem Aristotele duce causas simul eruere studet alte inhaerentes naturae humanae, quae omnis poeseos vim voluptatemque efficiant. hoc discrimen clarius intellegetur perlustrato maiore scholiorum Porphyrianorum numero.

Iam si pergimus in recensendis notionibus a tragoedia in Homerica carmina translatis etiam in Odysseae scholiis epica carmina *τραγῳδίαι* vocantur veluti schol. HQ ϑ 499 *ἀπὸ ϑεοῦ τὴν ἀρχὴν τῆς τραγῳδίας ποιούμενος*, cfr. ib. 542. cohaerere videntur cum hac tragoediae no-

---

et solutas fuisse opinor, a Porphyrianae certe qua nunc involvuntur disputationis prolixa amplitudine longe diversas. contra quos R. Wachsmuthius genuina ea esse demonstrare conatus est in dissertatione *de Aristotelis studiis Homericis* Berolini 1863 conscripta.

74 Iusto magis neglecta esse videntur problemata Porphyriana in explicandis Artis Poeticae Aristoteleae locis difficilioribus, qui haud raro singulari modo iis illustrantur. accuratam notionum Aristotelearum a Porphyrio adhibitarum investigationem vel intellegendo illi Aristotelis operi non sine fructu fore puto. sic, ut exemplum afferam (nam totam hanc quaestionem profligare non huius est loci) ex scholiis modo exhibitis verborum *ἵν' ἐκ τοῦ πάϑους ἀποκαϑαριεύσῃ τὸ τοιοῦτο μόριον τῆς ψυχῆς*, quae aperte celeberrimam Aristotelis *κάϑαρσιν τῶν παϑημάτων* respiciunt, memorabilem explicationem praebet extremum scholion *ὡς ἄριστος ἰατρὸς, πρῶτον ἀναστέλλων τὰ νοσήματα τῆς ψυχῆς ὕστερον τὴν ἴασιν ἐπάγει.*

tione, quae multis locis de ὑποθέσει exponuntur haud absona ab iis, quae in tragicorum scholiis inveniuntur. schol. BLV *I* 328 ἐντέχνως τὰς πράξεις ἐπάγει, πίστιν τοῖς προειρημένοις φέρων. εὖ δὲ καὶ τὸ μὴ κατ' ἄνδρα τὰ πραχθέντα φράζειν, ἀλλὰ κατὰ πόλεις καὶ ταῦτα ἀθρόας. ἅμα δὲ καὶ συμπληροῖ τὴν ὑπόθεσιν. cfr. schol. ABL *Θ* 428. schol. BLV *H* 104 εἰς κίνδυνον προαναγαγὼν τὴν ὑπόθεσιν καὶ λύσιν τοῦ παντὸς πιθανῶς ἀνίστησι τὸν ἀδελφόν. schol. BLV *H* 262 φυλάσσει μὲν Ἕκτορα τῇ ὑποθέσει, τὴν δὲ καιρίαν πληγὴν Αἴαντι δωρεῖται, ἐπὶ τὸ ἐπικίνδυνον φέρων τὴν ὑπόθεσιν. schol. BLV *Π* 114 πάλιν ἐπὶ τὸ κινδυνωδέστατον προήγαγε τὴν ὑπόθεσιν. schol. PQ *δ* 796 οὐ δι' ἑαυτῆς ἔρχεται ἡ Ἀθηνᾶ, ἵνα μὴ ἀναγκασθῇ τι εἰπεῖν περὶ Ὀδυσσέως καὶ λυθῇ τὰ τῆς ὑποθέσεως, quod prorsus gemella habet in schol. Eur. Hip. 710 λύοιτο γὰρ ἂν τὰ τῆς ὑποθέσεως. cfr. scholl. Ai. 387, 462 El. 818. idem quod λύειν aliis locis significat ἀναιρεῖν, schol. V *Λ* 809 πιθανῶς τὸ μὴ εὐθὺς ἀπιέναι πρὸς Ἀχιλλέα· ἀνήρητο γὰρ ἡ ἐν μέσῳ διάθεσις καὶ ἡ τειχομαχία. cfr. schol. Eur. Troad. 1129. Porphyrianum esse vocabulum ἀναιρεῖν testatur schol. BQ *ι* 399 * * * *[75] καίτοι οὐ περὶ αὐτὸν ᾤκουν, ἀλλ' ἀπάνευθεν τούτου καὶ ἐφοίτων ἄλλοθεν ἄλλος. λύει δὲ τὴν ἀπορίαν τὸ μέγα βοᾶν αὐτὸν καὶ ἐν ἐρημίᾳ εἶναι καὶ διὰ τοῦτο ἐξακούεσθαι. οὐκ εἰσῆλθον δὲ ἐν τῷ σπηλαίῳ, τὸ γὰρ εἰσελθεῖν ὄλεθρον τῶν ὄντων (ἂν) ἐποίει καὶ ἀνῄρει τὴν ὑπόθεσιν τῆς πάσης ποιήσεως[76]. interdum singulas scaenas enumerat Porphyrius, quas poeta sustulisset, si rem aliter instituisset, veluti in schol. B *Σ* 311 — πρός τε τὴν ὅλην ποίησιν πιθανὴν τὴν οἰκονομίαν ὁ ποιητὴς διέθετο. εἰ γὰρ ἔφυγον εἰς τὴν πόλιν, ταὐτὰ τοῖς ἐν ἀρχῇ ἐγένετο, τειχήρεις τε οἱ Τρῶες καὶ πολιορκία. καὶ οὐδ' ἂν ὁ

75 Mutilum est hoc scholion in initio, cum quaestio desit, ad quam respicit solutio.

76 τῆς πάσης ὑποθέσεως BQ, quod emendavi. cfr. schol. BH *κ* 15 συντόμως ἑκατέρων τῶν ποιήσεων τὴν ὑπόθεσιν ἐδήλωσε.

Ἕκτωρ ἀπώλετο, κωλυόμενος ὑπὸ τῶν δημογερόντων προελθεῖν. καὶ κατέστη ἂν ἐξαγώνιον τὸ λοιπὸν μέρος τῆς Ἰλιάδος. similia de universa carminum oeconomia subtiliter observantur in amplo scholio BL *Λ* 1 schol. B *Φ* 1 schol. BL *B* 494. notandum etiam est scholion BL *B* 272 πῶς προειπὼν αὐτοὺς γεγελακέναι σπουδαῖα καὶ οὐ γελοῖα παράγει λέγοντας; τάχα οὖν τοῖς ἐπὶ Θερσίτου περιήρηται τὸ θρασὺ καὶ παρρησιαστικὸν αὐτῶν ὁ Ὀδυσσεύς. ἄλλως τε προοικονομεῖ εἰς ὅλην τὴν ποίησιν ἀμνηστίαν Θερσίτου διὰ τοῦ ⟨v. 276⟩ 'οὔ θήν μιν πάλιν αὖτις ἀνήσει θυμὸς ἀγήνωρ', quippe quod sumptum sit ex verbosa Porphyrii commentatione in B, ubi προσοικονομεῖσθαι emendandum in προοικονομεῖσθαι. luculentior fit tragoediae notio iis scholiis, quibus quid Homerus primus induxerit in tragoediam exponitur. schol. ABL *Λ* 332 τὸ μὲν γὰρ εἰπεῖν τι παροξυντικόν, τὸ δὲ θωπεῦσαι δουλοπρεπές. πρῶτος δὲ Ὅμηρος πρόσωπα κωφὰ παρήγαγεν εἰς τὴν τραγῳδίαν. schol. BLV *Z* 468 πρῶτος δὲ παῖδας ἐν τραγῳδίᾳ εἰσάγει. schol. B *Φ* 34 μετέβαλε τὴν διήγησιν εἰς ἄλλην διάθεσιν, ποικίλλων[77] αὐτήν. πρῶτος οὖν καὶ τὸ τῶν περιπετειῶν εἶδος ἔδειξε, ποικίλον ὂν καὶ θεατρικὸν καὶ κινητικόν. exempla περιπετείας notata sunt in schol. BL *K* 271 ἡδεῖα ἡ περιπέτεια[78], τὸ διὰ τοσούτων ἐλθοῦσαν αὐτὴν πάλιν σκεπάσαι Ὀδυσσέα τὸν ἐξ Αὐτολύκου. schol. MQ *δ* 69 ἀφορμὴν παρέσχε τῷ Μενελάῳ ἀναγνωρισμοῦ καινοῦ. ἐκεῖνο μὲν γὰρ κοινόν, τὸν μὲν πυνθάνεσθαι, τὸν δὲ ἀποκρίνεσθαι ὅτι Ὀδυσσέως παῖς τυγχάνει, ὥσπερ παρὰ Νέστορι πέπρακται,

77 Voce ποικίλλειν tam de dictione quam compositione carminum permultis locis utitur Porphyrius veluti schol. B *Λ* 269 Πορφυρίου: — ἐπὶ δὲ τῶν Τρώων ἔτι ποικιλώτερον κέχρηται. schol. A (?) *Σ* 309 Πορφυρίου: — ἄξιον σημειοῦσθαι ὅτι ποικίλλων αὐτὸς ἑαυτὸν ἄλλως καὶ ἄλλως ἑρμηνεύει διὰ δύναμιν. schol. B *Σ* 356 Πορφυρίου: — ποικίλλειν ἀεὶ σπουδάζοντα τὴν ποίησιν etc.

78 De Autolyci galea sermo est, quam Vlixes nactus sit. haec est περιπέτεια. videmus iterum, quantum amiserit vox propriae significationis.

τὸ δὲ *περιπέτειάν* τινα εἶχεν, ἐκ τῆς Ὀδυσσέως μνήμης εἰς δάκρυα προπεσόντος τοῦ νέου, εἰς ὑποψίαν ἐμπεσεῖν ἀληθείας τὸν Μενέλαον. αὕτη τοίνυν τοῦ νεανίσκου ἡ ἔκπληξις καιρὸν παρέσχε τῷ Μενελάῳ τῶν λόγων. verbosius quoddam quod ad eundem versum spectat in E scholion vel clarius Porphyrium sapit ἐκεῖνος μὲν ἐλάλει κρυφίως πρὸς τὸν Νεστορίδην, μή ποτε κόλαξ φανῇ. ὁ μέντοι Μενέλαος προσεκτικὸς ὢν ἤκουσε τῶν λεγομένων καὶ ἤρξατο λαλεῖν αὐτοῖς. ταῦτα δὲ *οἰκονομία*[79] τοῦ Ὁμήρου, καὶ ἵνα πλατύνῃ τὴν ποίησιν αὐτοῦ καὶ ἵνα εἴπῃ ἃ εἰς τὴν Ἰλιάδα οὐκ εἶπε. μέλλει γὰρ παραγαγεῖν καὶ τὴν Ἑλένην, ὥστε γνωρίσαι αὐτοὺς καὶ εἰπεῖν περὶ τοῦ Ὀδυσσέως ἐπαίνους, καὶ καταλέξαι ἔθη γυναικεῖα, καὶ ἅμα καὶ τὴν Ἑλένην ἐγκωμιάσαι. ἐν γὰρ τῇ Ἰλιάδι οὐδὲν εἶπε τὸ τυχὸν περὶ αὐτῆς ἐπαινετήρια ⟨extrema corrupta, οὐδὲν εἶπε τυχὸν — ἐπαινετήριον Dindorfius⟩.

Commode huic scholio subiungentur reliqua, quibus Iliadis argumentum longius persequi in Odyssea censetur Homerus. schol. Q δ 245 διὰ πολλὰ τῆς πράξεως ταύτης μνημονεύει ὁ ποιητὴς οὐ μόνον ὅτι πρὸς τὴν ποίησιν συμφέρει *τὰ μὴ δεδομένα τῆς Ἰλιάδος* νῦν ἐμφανίζειν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν μνηστηροκτονίαν ταῦτα ᾠκονόμηται κτλ. schol. Q δ 187 *τὰ ἐν Ἰλιάδι παραλειφθέντα* διὰ τῆς Ὀδυσσείας ὡς μιᾶς οὔσης τῆς πραγματείας παραδίδωσι. schol. E γ 248 καλῶς *ἀναπλήρωσις* τῆς Ἰλιάδος ἡ Ὀδυσσεία λέγεται. ἃ γὰρ κατέλειψεν ἐκεῖ, ἐνταῦθα λέγει. eandem sententiam Porphyrium quoque habuisse docet schol. B Ω 804, ubi Menecrati, qui contenderat Homerum virium suarum imbecillitatis sibi conscium praetermisisse τὰ μεθ' Ἕκτορα, opponit καλῶς δὲ ἐταμιεύσατο ἑαυτῷ τὰ λοιπὰ τῶν ζητημάτων εἰς τὴν Ὀδυσσείαν· μικρὰ γὰρ ἦν ἡ ὑπόθεσις περὶ τῆς οἰκίας τοῦ Ὀδυσσέως μόνον· ἐν τῷ μέσῳ οὖν τὰ

---

79 Huius stirpis vocabula frequentia in problematis Porphyrianis. οἰκονομικῶς schol. AD Α 1 aliis. προοικονομεῖν schol. BL Β 272 vide supra. οἰκονομικόν schol. E γ 366 etc.

περὶ Μενελάου καὶ Νέστορος καὶ Ἀγαμέμνονος καὶ ἁπλῶς περὶ τοῦ ἀπόπλου διέξεισι καὶ τοῦ δουρείου ἵππου. ἄλλως τε πολιορκίαν μακρὰν οὐκ ἄξιον διηγεῖσθαι αὐτόν.

Vt redeamus ad perlustrandas notiones a tragoediis in epicum carmen translatis, non subsistit scholiasta in adhibendis meris notionibus, sed ne externis quidem tragoediarum subsidiis instrumentisque destituta esse vult carmina Homerica. saepius tetigi observationem, non omnia quae in dramate agantur etiam in scaena et ante oculos spectatorum peragi, verum conspectui eorum subtrahi, quae visu vel nimis horribilia sint vel obscoena. redit haec in scholio BLV Z 58 *μισητὰ καὶ οὐχ ἁρμόζοντα βασιλικῷ ἤθει τὰ ῥήματα· τρόπον γὰρ ἐνδείκνυται θηριότητα, ὁ δὲ ἀκροατὴς ἄνθρωπος ὢν μισεῖ τὸ ἄγαν πικρὸν καὶ ἀπάνθρωπον. ὅθεν κἂν ταῖς τραγῳδίαις κρύπτουσι τοὺς δρῶντας τὰ τοιαῦτα ἐν ταῖς σκηναῖς, καὶ ἢ φωναῖς τισιν ἐξακουομέναις ἢ δι' ἀγγέλων ὕστερον σημαίνουσι τὰ πραχθέντα, οὐδὲν ἄλλο φοβούμενοι ἢ* ⟨*ἢ φοβούμενοι* codd.⟩ *μὴ αὐτοὶ συμμισηθῶσι τοῖς δρωμένοις*[80]. hoc loco discrimen, quod intercedere monui inter scholia tragicorum et Homerica perquam similia, in oculos incurrit. Aristophanes et Didymus, quos de eadem tragicorum consuetudine disputantes vidimus, nihil observant nisi poetas solere rem ita instituere, Porphyrius autem vel potius quem ante oculos habuit Aristoteles causam e natura humana repetitam addit, cur hanc normam secuti sint tragici. spectat hoc scholion ad illam scaenam, ubi Agamemnon fratrem, qui Adrasti precibus commotus vivum hunc ad naves ducturus est, adhortatur, ne vitae eius parcat, 'nullus Troianorum perniciem nostrasque effugiat manus, ne is quidem, quem mater fetum alvo gestet'. poscit igitur scholiasta, ut Adrastus quasi post scaenam necetur, ut mos sit tragicorum, qui

80 Sequitur defensio Homeri haud dubie a Porphyrio profecta, cuius primarium consilium erat, ut Homerum contra vana Zoili Menecratis vel ipsius Aristotelis opprobria tueretur.

aut per nuntios aut, et hoc additum esse memorabile, vocibus quibusdam exclamationibusque post scaenam editis certiores faciant spectatores de iis quae acta sunt. unicuique in mentem venient scaenae illae Agamemnonis et Electrae, ad quas et Aristophanes et Didymus de hoc poetarum tragicorum artificio disputarunt.

Chorum vindicat tragoediae Homericae, quem dicendi genus et scholii sedes testatur, Porphyrius in schol. B *Τ* 282 — ὁ δὲ ποιητὴς τῇ καλλιστευούσῃ τῶν θεῶν ταύτην εἰκάζει. ἐπεὶ γὰρ ἐπ' ἀλλοδαπῆς τέθνηκε Πάτροκλος, ἔνθα μὴ πάρεισι συγγενεῖς γυναῖκες, αἳ μάλιστα κινεῖν δάκρυα φιλοῦσι, χορὸν αἰχμαλωτίδων πεποίηκε θρηνοῦντα, ἐξάρχοντος ἐνδόξου προσώπου κτλ. quid quod eccyclema adhibuit Homerus? certe vividam et re vera incomparabilem fabricae Vulcani descriptionem comparat scholiasta cum eccyclemate, quo quae intus fiant in scaena spectatoribus monstrentur schol. B *Σ* 477 δαιμονίως τὸν πλάστην αὐτὸς διέπλασεν, ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς ἐγκυκλήσας ⟨sic! non ἐκκυκλήσας vide p. 50 n. 54⟩ καὶ δείξας ἡμῖν ἐν φανερῷ τὸ ἐργαστήριον. et ad perficiendum apparatum tragicum habemus deum ex machina ab Homero adhibitum secundum schol. BLV *B* 156 εἰς τοσοῦτον προάγει τὰς περιπετείας, ὡς μὴ δύνασθαι αὐτὰς ἄλλον εἰ μὴ μόνον μεταθεῖναι τὸ θεῖον. πρῶτος δὲ τοῖς τραγικοῖς εἰσηγήσατο μηχανάς, quod ex more excerptum est ex ampliore scholio Porphyriano ad v. 155 in BLV διὰ τί δὲ προείποντος τοῦ Ἀγαμέμνονος ἐν τοῖς προβεβουλευμένοις ⟨75⟩ 'ὑμεῖς δ' ἄλλοθεν ἄλλος ἐρητύειν ἐπέεσσιν', ὁρμησάντων τῶν Ἑλλήνων ἐπὶ τὰς ναῦς οὔτε Ὀδυσσεὺς οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τοῦτο ἐποίησε ταχέως, ἀλλ' ὁ μὲν ἕστηκεν ἁπλῶς μόνον οὐχὶ ἁπτόμενος τῆς νηός, οἱ δὲ ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας μένουσι, καὶ παραγίνεται ἡ Ἀθηνᾶ ἀπὸ μηχανῆς ὥσπερ καθεύδοντα ἐγείρουσα τὸν Ὀδυσσέα; — — διὸ πρὸς τοῦτον ἡ Ἀθηνᾶ ἥκει· οὐ γὰρ πιθανὸν θεοῦ δίχα καταστέλλεσθαι τοιοῦτον θόρυβον. neque hoc loco fons Porphyrii obscurus est, proditur enim scholio B *B* 73 Ἀριστοτέλους. διὰ τί ὁ Ἀγαμέμνων ἀπο-

πειρᾶται τῶν Ἀχαιῶν, καὶ οὕτως ἔπραξεν ὥστε ὀλίγου τὰ ἐναντία συμβῆναι ἢ ἐβουλεύετο; καὶ τὸ κώλυμα ἀπὸ μηχανῆς. ἡ γὰρ Ἀθηνᾶ ἐκώλυεν· ἔστι δὲ ἀποίητον τὸ μηχάνημα λύειν ἄλλως εἰ μὴ ἐξ αὐτοῦ τοῦ μύθου. φησὶ δὲ ὁ Ἀριστοτέλης ποιητικὸν μὲν εἶναι τὸ μιμεῖσθαι τὰ εἰκότα[81] *γίνεσθαι, καὶ ποιητῶν μᾶλλον τὸ κινδύνους παρεισάγειν. εἰκὸς δὲ κτλ.*[82]. recte scholion interpretatus est R. Wachsmuthius l. l. p. 31 *Aristoteles interrogat cur Agamemno Achaeos adeo tentet ut in summas angustias veniat, porro opprobrio ducit, quod difficultas artificio praecidatur poetae non licito.* nisi genuina sunt haec Aristotelis aporemata, repeto, sat bene versatum fuisse qui ea componeret in Aristotelis philosophi libris, nam quae in AP. 15 p. 1454a 37 de adhibendo deo ex machina praecipiuntur ad amussim cum scholio illo conveniunt *φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν.* non cogitandum esse cum Graefenhahnio et Welckero de tragoedia quadam Ἰλιάς nominata, puto iis, quae de notionibus tragoediae propriis in carmina Homerica translatis dixi, extra omnem dubitationem positum esse.

Haec sufficient ad indolem naturamque observationum, quae ad artem poeticam spectantes in scholiis Homericis[83] inveniuntur, recte aestimandam. paucae notae,

---

81 *Εἰκότα* scripsit. Wachsmuthius l. l. p. 32. *εἰωθότα* B. non attulit Wachsmuthius, quo emendatio certa redditur, Porphyrii verba p. 51a 31 *ὅταν γὰρ διὰ τῶν εἰκότων γίγνηται* ⟨scil. *ἡ λύσις*⟩, *οὐ μηχανὴ τοῦτ' ἐστὶν, ἅμ' ὅτε πρόκειται θεός.*

82 Sequitur Homeri defensio, ex qua memoranda p. 51a 28 Bekk. *ἅμα δὲ ὁ ποιητὴς ἀγωνιᾶσθαι πεποίηκε τὸν ἀκροατήν· τό τε γὰρ ἀποβῆναι καὶ τὸ πάλιν εἰς ὀρθὸν ἐλθεῖν τραγικὸν, καὶ τοῦ ποιητοῦ ἐπιβολὴ ἔνογκος. ἡ δὲ λύσις οὐκ ἀπὸ μηχανῆς.*

83 Quod in poetis tragicis affectavi, ut in reliquiarum collectione omnia quae supersunt grammaticorum iudicia ederem, id in Homero pluribus de causis non necessarium duxi, quare notarum Homericarum specimina tantum hic illic in annotationibus exhibui.

quibus ad artem referendis carmina Homerica non pro tragoediis accipiuntur, aut eiusdem Porphyrii quaestionibus originem debent aut ita comparatae sunt, ut de auctore earum certi nihil definiri possit. prioris generis exemplum praebet schol. A (?) Z 129, ubi Porphyrius in solutione quaestionis de mytho quodam disputat ab Homero suo tempore et per dignissimam aptissimamque personam narrato [84], alterius generis sunt notae rhetoricae in scholiis Homericis tragicisque frequentes, de quibus infra verbum addam [85].

---

84 *'Τοῖς δὲ λεγομένοις καὶ κεκρατηκόσι μύθοις Ὅμηρος κρίνων αὐτοὺς εἰς χρῆσιν κατὰ καιρὸν τοῖς ἥρωσιν ἀνατέθεικεν. τὰ δὲ κατὰ τὴν Λυκουργίαν οἰκεῖον ἦν εἰδέναι τῷ Διομήδει'.*

85 De grammaticorum L a t i n o r u m studiis in illustranda arte poetica positis alio loco accuratius disputare mihi in animo est. hic breviter tantum ex commentariis D o n a t i in Terentii comoedias conscriptis, unde fere omnis horum studiorum notitia nostra pendet, adumbrabo, quantopere ut in omnibus artibus litterisque ita etiam in hac re grammatici Latini Graecorum vestigia presserint. mira quae intercedit necessitudo inter Donati Graecorumque observationes in dicendi genere et in materiis, ad quas animum advertebant grammatici, cernitur. quod ad dicendi genus attinet, Donatus aut ipsa graeca vocabula in commentarios suos recepit, aut graeca latine vertit. utriusque rei pauca exempla afferam. praeter vocabulum *οἰκονομία*, quod modo latine modo graece scriptum sexcenties legitur, inveni ***eleganter lusit ad ἀμφιβολίαν*** Andr. V 4, 52 ***artificiose inculcat poeta τὸ πιθανόν*** Eun. II 3, 68 *ἐμπαθῶς σχετλιάζει* Adel. III 2, 3 ***ὑπόθεσις comoediae*** Phorm. I 2, 7 ***necessaria est ad fabulae ἐπίτασιν avaritia Demiphonis*** Phorm. I 2, 19 ***et simul est hic προπαρασκευή virginis agnoscendae*** Eun. IV 1, 6 *κατὰ τὸ σιωπώμενον* Eun. III 1, 45 *παρὰ προσδοκίαν* Eun. I 2, 18 ib. II 1, 17 ***καθαπτόμενος mores*** Eun. II 2, 20 *τραγικώτερον* Andr. II 1, 1 ***παρέκτασις tragica*** Eun. III 1, 10 *καταστροφή* Hec. III 5, 38 *θεῶν ἀπὸ μηχανῆς* Andr. I 1, 1 *ἠθικῶς* Adel. III 2, 6 *τὸ πρεπόν* Andr. II 6, 16 alia multa. vocabulorum graecorum, quae latine vertit Donatus, facile est magnum numerum colligere. sufficiet hic indiculus latinorum: ***artificiose eminenter apte bene recte mire eleganter necessario importune (ἀκαίρως) argumentum exitus fabulae, cognitio expectatio sublimitas tragica, spectatoribus ge-***

Est igitur summa eorum quae hucusque disputavimus haec: in scholiis, quae supersunt in poetarum tragicorum fabulas et in Homeri carmina conscripta, observationes inveniuntur ad artem poeticam spectantes numero paucae, quarum alterae consentiant cum Aristotelis de arte poetica praeceptis, alterae ex ipsis eius praeceptis pendere videantur. primus inter grammaticos, ad quem certis vestigiis ducimur, Aristophanes Byzantius de arte a poetis tragicis in componendis fabulis adhibita observavit. praeter singula iudicia in argumentis servata eius disciplinam illustrant in scholiis Euripideis ipsius Aristophanis, in scholiis Aeschyleis Sophocleisque Didymi observationes et rerum explicatarum natura et dicendi genere Aristophaneis simillimae. ex Didymi copiis hausit recentior grammaticus, qui in paucis observationum generibus vires suas exerceret, iudicii perversitate non minus quam verbositate a Didymo diversus. cum his observationibus consentiunt quae de arte poetica in scholiis Homericis disputantur eo potissimum, quod auctoribus notarum illarum, Aristoteli et Porphyrio, carmina Homerica sunt pro tragoediis. et clarius quidem scholia Homerica Aristotelis doctrinam servarunt, quoniam Porphyrius, ipse philosophus, in disputationes suas integra problemata Homerica recepit, quae nisi ipsius Aristotelis, certe philosophi sunt, qui Aristotelis praecepta et aporemata in promptu habuerit et numerato.

sta narrantur, ad discrimen perducta comoedia, praestruxit ad exitum fabulae. in tanto consensu notionum materias etiam quae a Donato tractantur similes esse earum, quas in scholiis graecis videmus tractatas, vix est quod moneam. ad declarandam hanc rerum similitudinem in collectione reliquiarum scholiis graecis hic illic Donati observationes subiunxi.

GRAMMATICORVM GRAECORVM

DE ARTE TRAGICA

IVDICIORVM RELIQVIAE

ΑΓΓΕΛΟΣ ΕΚΚΥΚΛΗΜΑ

Hec. 484 *κατὰ τὸ σιωπώμενον ἐσφάγη ἡ Πολυξένη. ἔθος γὰρ τοῖς τραγικοῖς τὸ μὴ ἐπ' ὄψει τῶν θεατῶν ἀναιρεῖν. ἠνιάθησαν γὰρ ἂν ὁρῶντες τοιαύτην θέαν.*

Electr. 1384 *ἐνθάδε τῶν λόγων γενομένων πρὸς τὴν Ἠλέκτραν ἐκ τοῦ Ὀρέστου, οὐδὲν λείπει εἰς τὸ ἀνελεῖν τὴν Κλυταιμνήστραν, ἅπερ ἐν τῷ ἐμφανεῖ ὁ ποιητὴς οὐκ εἰσήγαγεν.*

ib. 1495 *πρόφασιν ἱκανὴν εὗρε τοῦ μὴ ἐν τῷ ἐμφανεῖ φονεῦσαι αὐτόν.*

ib. 1404 *αἶ αἶ, ἰὼ στέγαι: ἔθος ἔχουσι τὰ γεγονότα ἔνδον ἀπαγγέλλειν τοῖς ἔξω οἱ ἄγγελοι, νῦν δὲ διὰ τὸ μὴ διατρίβειν ἐν τῷ δράματι οὐκ ἐποίησεν. τούτῳ γὰρ προκείμενον τὸ κατὰ τὴν Ἠλέκτραν ἐστὶ πάθος. νῦν τοίνυν βοώσης ἐν τῇ ἀναιρέσει τῆς Κλυταιμνήστρας ἀκούει ὁ θεατὴς καὶ ἐνεργέστερον τὸ πρᾶγμα γίνεται ἢ δι' ἀγγέλου σημαινόμενον. καὶ τὸ φορτικὸν τῆς ὄψεως ἄπεστι, τὸ δὲ ἐναργὲς οὐδὲν ἧσσον καὶ διὰ τῆς βοῆς ἐπραγματεύσατο.*

Ai. 815 *ὁ μὲν σφαγεὺς ἕστηκεν: μετάκειται ἡ σκηνὴ ἐπ' ἐρήμου τινὸς χωρίου, ἔνθα ὁ Αἴας εὐτρεπίσας τὸ ξίφος ῥῆσίν τινα πρὸ τοῦ θανάτου προφέρεται, ἐπεὶ γελοῖον ἦν κωφὸν εἰσελθόντα περιπεσεῖν τῷ ξίφει. ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα παρὰ τοῖς παλαιοῖς σπάνια. εἰώθασι γὰρ τὰ πεπραγμένα δι' ἀγγέλων ἀπαγγέλλειν. τί οὖν τὸ αἴτιον; φθάνει Αἰσχύλος ἐν Θρῄσσαις τὴν ἀναίρεσιν Αἴαντος δι' ἀγγέλου ἀπαγγείλας· ἴσως οὖν καινοτομεῖν βουλόμενος καὶ μὴ κατακολουθεῖν τοῖς ἑτέρου τινὸς ὑπ' ὄψιν θῆκε τὸ δρώμενον. ἢ μᾶλλον ἐκπλη-*

7 *ἐν τῷ ἐμφαίνειν* LG, quod emendavi coll. schol. sq.
13 *τούτῳ γάρ* scripsi *τοῦτο γάρ* LG. v. p. 46 n. 51.

ξαι βουλόμενος· εἰκῇ γὰρ κατηγορεῖν ἀνδρὸς παλαιοῦ οὐχ ὅσιον οὐδὲ δίκαιον.

ib. 308 ἐν δ' ἐριπίοις νεκρῶν: ἐν τοῖς πτώμασι τῶν νεκρῶν καταπεσὼν ἔκειτο. θαυμαστῶς δὲ ὑπ' ὄψιν ἤγαγε τὰ πράγματα μεταξὺ τῶν πτωμάτων τὴν φαντασίαν ἐπιδεικνύς, οἷον καὶ τὸ παρ' Ὁμήρῳ περὶ τοῦ Κύκλωπος ⟨ι 298⟩ ʻτανυσσάμενος διὰ μήλωνʼ.

ib. 346 προσβλέπειν δ' ἔξεστι: ἐνταῦθα ἐκκύκλημά τι γίνεται, ἵνα φανῇ ἐν μέσοις ὁ Αἴας ποιμνίοις. εἰς ἔκπληξιν γὰρ φέρει καὶ ταῦτα τὸν θεατήν, τὰ ἐν τῇ ὄψει περιπαθέστερα. δείκνυται δὲ ξιφήρης ᾑματωμένος μεταξὺ τῶν ποιμνίων καθήμενος.

Eum. 64 ἐπιφανεὶς Ἀπόλλων συμβουλεύει Ὀρέστῃ καταλιπεῖν μὲν τὸ μαντεῖον, φυγεῖν δ' εἰς Ἀθήνας. καὶ δευτέρα δὲ γίνεται φαντασία. στραφέντα γὰρ μηχανήματα ἔνδηλα ποιεῖ τὰ κατὰ τὸ μαντεῖον ὡς ἔχει. καὶ γίνεται ὄψις τραγική· τὸ μὲν ξίφος ᾑμαγμένον ἔτι κατέχων Ὀρέστης, αἱ δὲ κύκλῳ φρουροῦσαι αὐτόν.

ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ

Eum. 47 φαίνεται ἐπὶ σκηνῆς τὸ μαντεῖον. ἡ δὲ προφῆτις πρόεισιν ἐπικλήσεις, ὡς ἔθος, τῶν θεῶν ποιησομένη, ἀπροόπτως δὲ ⟨τε M⟩ ἰδοῦσα τὰς Ἐρινύας κύκλῳ τοῦ Ὀρέστου καθευδούσας πάντα μηνύει τοῖς θεαταῖς, οὐχ ὡς διηγουμένη τὰ ὑπὸ τὴν σκηνὴν (τοῦτο γὰρ νεωτερικὸν Εὐριπίδειον), ὑπὸ δὲ τῆς ἐκπλήξεως τὰ θορυβήσαντα αὐτὴν καταμηνύουσα φιλοτέχνως.

Hec. 1 ἀφεὶς ὁ Πολύδωρος τὸ σῶμα ἑαυτοῦ καὶ μόνη ψυχὴ ὢν αἰωρεῖται ἐπάνω τῆς μητρὸς αὐτοῦ καὶ λέγει εἰς ἐπήκοον αὐτῆς τήν τε σφαγὴν αὐτοῦ καὶ τὴν ἐσομένην τῇ ἀδελφῇ αὐτοῦ Πολυξένῃ ὑφ' Ἑλλήνων. ἐποίησε δὲ τοῦτο ὁ

2 οὐδὲ δίκαιον add. G.

7 ἐκκύκλημά τι Br. et Vind. 281 ἐν κυκλήματι L.

15 Choeph. 973 ἀνοίγεται ἡ σκηνὴ καὶ ἐπὶ ἐκκυκλήματος ⟨ἐγκυκλήματος M⟩ ὁρᾶται τὰ σώματα, ἃ λέγει διπλῆν τυραννίδα.

ποιητὴς ἐξεπίτηδες, ἵνα δῆλα πᾶσι ποιήσῃ τὰ κατὰ τὸν Πολύδωρον, ὃ καὶ ἐν ἀρχῇ πάντων τῶν αὐτοῦ δραμάτων ποιεῖν εἴωθεν.

Troad. 1 *ἥκω λιπών: ὅλος ἐστὶ τοῦ θεάτρου ὁ Εὐριπίδης, πρὸς ὃ ἀφορῶν τοὺς λόγους νῦν ὁ Ποσειδῶν ποιεῖ, παρὼν ἐν τῇ ὑποθέσει. πολλαχοῦ δὲ τοιοῦτος, ὡς ἐν ταῖς Βάκχαις ὁ Διόνυσος 'ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίων χθόνα'.*

Phoen. 88 *ὦ κλεινὸν οἴκοις: ἡ τοῦ δράματος διάθεσις ἐνταῦθα ἀγωνιστικωτέρα γίνεται. τὰ γὰρ τῆς Ἰοκάστης παρελκόμενά εἰσι* ⟨sic!⟩ *καὶ ἕνεκα τοῦ θεάτρου ἐκτέταται.*

Troad. 36 *τὴν δ' ἀθλίαν: ἄμεινον ἦν ἀπὸ τῶν πραγμάτων παράγεσθαι ὀδυρομένην τὰ παρόντα. οὕτω γὰρ ἂν ἡ τραγῳδία τὸ πάθος εἶχε, νῦν δὲ ψυχρῶς τῷ θεάτρῳ προσδιαλέγεται.*

Orest. 128 *εἴδετε παρ' ἄκρας: — ἔνιοι δέ φασι ταῖς δμωσὶ ταῦτα λέγειν, οἱ δὲ πρὸς τὸ θέατρον, ὃ καὶ ἄμεινον.*

6 Donat. ad Hecyr. I 1, 1 *novo genere hic utraque προτατικὰ πρόσωπα inducuntur. nam et Philotis et Syra non pertinent ad argumentum fabulae. hoc autem maluit Terentius, quam ut aut per prologum narraret argumentum aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui.*

9 schol. BL *Δ* 1 — *ηὔξησε δὲ τὸ ἀγωνιστικὸν τῆς ὑποθέσεως τῇ τῶν θεῶν προνοίᾳ.* Donat. ad Andr. I 1 *in hac scena haec virtus est, ut argumenti narratio actio scenica videatur, ut sine fastidio longus sermo sit ac senilis oratio.* ib. *haec scena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae iaciuntur: ut virtute poetae, sine officio prologi vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς, et periocham comoediae populus teneat, et res agi magis quam narrari videatur.*

12 ut Sophocles fecit in Electra 1126 sqq., ubi scholiasta *λαβοῦσα τὸ τεῦχος φησίν· ὑπερφυῶς δὲ ἔχει τῇ διαθέσει λαβοῦσαν καὶ βαστάζουσαν τὰ ὀστᾶ ὀδύρεσθαι.* idem vitium exprobratur Euripidi in amplo scholio Troad. 1129 *οὐ θᾶσσον: — τοῦτο δὲ πρὸς τὴν δραματικὴν ὑπόθεσιν μεμηχάνηται, ὅπως τὸ ἐπεισόδιον ἐπαγάγοι τοῦτο ἐπὶ τῆς σκηνῆς, τήν τε ἀσπίδα παρεισενέγκοι καὶ τὸν Ἀστυάνακτα. — κομψὰ* (cfr. Aristophanis *κομψευριπιδικῶς*) *δὲ ταῦτα πάντα πεποίηκε. παρῄρητο δὲ τὸ τραγικὸν κατασκεύασμα. εἴπερ γὰρ παρῆν ἡ Ἀνδρομάχη, οἰκτρότερον ἂν ἐγένετο τὸ πάθος θρηνούσης αὐτῆς τὸν ἴδιον παῖδα. ἀντικατήλλακται δὲ τοῦ τοιούτου πάθους τὴν τῆς ἀσπίδος εἰσαγωγήν.*

ἐφελκυστικὸς γάρ ἐστιν ἀεὶ μᾶλλον τῶν θεατῶν ὁ ποιητὴς οὐ φροντίζων τῶν ἀκριβολογούντων.

